



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1708

Qvæstio II. In Titul. II. De Foro Competente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73001)

non tantum tunc, quando agitur contra obligatum ad eas solvendas; sed etiam, cum duæ Ecclesiæ litigant de illarum proprietate, seu jure illas percipiendi; *gloss. cit. V. decimis.* Not. 3. ad causas matrimoniales pertinere, cum agitur de matrimonio impediendo. vel dirimendo; non autem quando de crimine adulterii ad separationem thori; *gloss. cit. V. matrimonium.* Not. 4. causam, seu questionem *usurariam* hic dici, cum Actor petit sibi ab Usurario restitui usuras, licet Reus neget, *gloss. cit. V. usuris.* Not. 5. in prædictis causis licere uti non tantum proces-

su summario, sed etiam ordinario, etiam partibus in vitis, prout expedire videbitur; præsertim cum ordinarius tutior sit; *gloss. cit. V. valeat.* Not. 6. quod, præter Papam, nullus Judex inferior possit causam cognoscere, vel committere cognoscendam *summarie* nisi in casibus supra expressis; quia nequit immutare constitutionem Juris Canonici; Durandus *in specul. l. 1. tit. de legato. §. superest, n. 7.* Not. 7. alios casus, in quibus summarie procedi potest, & debet, haberi in Extravag. *Frequentantes, unic.* inter commu-
nes; de Judiciis.

QVÆSTIO II.

IN TITUL. II. DE FORO COMPETENTE.

241. **Q**UAMVIS *forum*, primavâ institutione, significet locum publicum, ad quem res venales deferuntur; hic tamen accipitur pro loco exercendorum judiciorum, seu sede jurisdictionis: Dicitur in genere neutro, & masculino; in primo genere significat territorium, de quo in L. *Pupillus, §. territorium. ff. de verb. signif.* *Foras* in genere masculino accipitur pro loco judicii, scilicet ubi jus redditur à Judice, c. *forus, de verb. signif.* Juxta Hostiens. in rubro, de foro compet. sumitur pro judicio, jurisdictione & potestate. Unde idem est dicere *de foro competente*, ac *de jurisdictione, seu judicio competente*: similiter dicere: *hac persona pertinet ad forum Ecclesiasticum, vel seculare*, idem est, ac dicere: *ad jurisdictionem spirituales, vel temporales*. Hinc casus *mixti fori* ita appellantur, quia ad utramque pertinent potestatem. Dividitur in *Ecclesiasticum & seculare*: quia duplex tantum est potentia publica, quâ genus humanum regitur: spiritualis & temporalis, c. *solita*: de major. & obediens. Apud Suarez, de leg. l. 3. c. 21. n. 2. dividitur *forum* in *externum, & internum*; *forum externum* (quod alio nomine appellatur *forum fori*) est judicium, in quo tractantur causæ in ordine ad externam reipublicæ sive Ecclesiasticæ, sive laicæ administrationem. *Forum internum* (quod alio nomine vocatur *forum poli* à S. Augustino c. ult. 17. q. 4. seu *forum conscientia*, est) quod intus
Tom. II.

in mente hominis, ubi conscientia residet, exercetur. Est adhuc ex doctrina Suarii de leg. l. 8. c. 6. n. 16. & Parlad. D. 12. §. 2. (ubi latissime de discrimine inter *forum fori, & forum poli*) *forum internum* duplex, alterum dicitur *forum penitentia*, in quo per sacramentum penitentia tollitur vinculum peccati absolutione sacramentali: alterum *non penitentia*, in quo extra illud sacramentum tollitur aliquod vinculum morale, v. g. censura per absolutionem: his præmissis:

ARTICULUS I.

Quodnam *forum, vel Judex* dicatur *competens, vel incompetens?*

242. **J**UDEX *competens*, de quo passim in jure præsertim L. *penult. C. de jurisd. omni. judicium & L. 2. ff. Si quis in jus vocat*: idem est ac is, ad cujus jurisdictionem immediate pertinet cognitio causæ, propter quam quis in jus vocatur; sic Zoësius *h. t. n. 2.* ex opposito Judex *incompetens* est, ad cujus jurisdictionem ea causa non spectat; de quo V. Azor p. 3. l. 13. c. 15. dixi: ad quem pertinet cognitio causæ *immediate*; nam proximo Judice omisso, non rectè trahitur Reus ad ulteriorem. Sic Archiepiscopus non est Judex *competens pro prima instantia* subditorum sui Suffraganei, c. 1. de foro compet. in 6. excipe Pontificem. Nam ad hunc immediate, & in prima instantia
K
quis

quis rectè vocatur; cum habeat jurisdictionem immediatam in omnes Christianos, etiam in prima instantia, nisi subsit justa, & necessaria causa, litem revocandi domum, ut dicemus infra ex *c. fin.* de foro compet. Ex hoc colliges, citatum coram Judice incompetente, impunè non comparere, *L. fin. ff. de jurisd.* cum extra territorium judicanti impunè non pareatur, nisi ad hoc, ut de jurisdictione cognoscatur, *L. 5. de Judic.* intellige juxta *n. 147.* si tamen non sit notorium, vocatum non esse de territorio vocantis; *Clement. Pastoralis, 2.* illud, de sent. excom. nam quæ sunt clara, non sunt amplius certioranda.

Hinc si Reus vocatus ad Judicem Laicum, dicat, *se esse Clericum*, cognitio de hujus veritate potius spectat ad Judicem Ecclesiasticum, quam Laicum, cum sit causa Ecclesiastica, non tractanda à Laico *c. 2. de Judiciis.* Interim tamè Judex Laicus, etsi super sedere debeat in causa cognoscenda, ut dicitur *c. 3. de ordine cognitionum*; incarcerationum tamen non relaxabit, cum judicio pendente nihil sit innovandù; *Inoc. c. ut fama, de sent. excom.* & patet ex Remissionibus ad *Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 6. V. Tonsuram deferens*; ita *Zoësius cit. n. 4.* quibus positus:

243. Deducitur, *forum competens* esse tribunal Judicis, cujus jurisdictioni Reus subjicitur; sive in quo Reus ab Actore conveniri debet, aut potest; *Pithing cit. de foro compet. n. 1.* dixi: *debet*, aut *potest*. Nam Judex alius est *simpliciter competens*, quem litigantes adire possunt, ac debent, tanquàm ad Ordinarium loci, seu territorii, in quo judicium exercetur, ut dicitur *L. 2. ff. si quis in jus vocatus, & L. penult. ff. de jurisd.* alius est per se incompetens, quamvis partium litigantium consensu, ejus jurisdictioni prorogari possit, & ita fieri competens, *L. 1. & 2. ff. de Judic. & c. significasti, de foro compet.*

244. Præter hæc not. quòd, etsi privatæ personæ non possint alicui *jurisdictionem dare*, possint tamen *prorogare*, nisi lege aliquà prohibeantur; sic habetur *L. privatorum 3. C. de jurid.* Ratio autem exceptionis est 1. quia causæ feudales judicari debent coram domino directo, & alterius jurisdictioni subjicci nequeunt; ita Layman in *c. significasti*, hic *n. 1.* ex *c. ceterum*, de judiciis. Similiter id foro pœni-

tentia, extra mortis articulum, non est permessa prorogatio jurisdictionis, *c. 2. causa, 9. q. 2. & c. omnis utriusquè*, de pœnitentiis & remissionibus. Eodem modo dicendum de Clericis; quòd illis, *sine licentia Episcopi*, vel Ordinarii sui, permessa non sit prorogatio jurisdictionis, etiam respectu Judicis Ecclesiastici, *c. significasti cit.* esto id permittatur laicis, Layman in *cit. c. n. 2.* etiam respectu Judicis Ecclesiastici.

245. Not. 2. quòd etiam Regulares exempti, cum licentia sui Prælati, possint prorogare, seu supra se extendere jurisdictionem Episcopi, cui alias, secluso exemptionis privilegio, subjecti essent; in ordine ad absolutionem à peccatis, vel dispensationem in irregularitatibus, votis &c. si Prælati eorum tali facultate præditi non sit; ita Sanchez tom. 1. *de Relig. l. 4. c. 39. n. 32.* Layman *cit. n. 3.* Advertendum autem ad hoc, ut possit prorogari jurisdictioni Judicis non sui, requiri. 1. Etiam consensum utriusquè partis; Fagnanus in *c. si quis de de foro compet. n. 7. ex c. placuit, 2. q. 6.* Secundo, ut prorogatio fiat in Judicem, qui habet *ordinariam* potestatem cognoscendi *similes* causas aliorum; Fagnan. in *c. significasti, de foro compet. n. 5.* ex *L. 1. C. de jurisdic.* hinc deputatus solum *ad maleficia*, non potest prorogari ad causas *civiles*; & constat ex *c. significasti cit.* ibi: *qui jurisdictioni præesse dignoscitur*, intellige, *ordinarie*. Nam jurisdictioni delegata non est prorogabilis; Fagnan. *cit. à n. 15.* & seq. ubi etiam assignat discrimen, inter *prorogationem*, & *delegationem* jurisdictionis.

246. Not. 3. Clericus, etiam cum consensu Episcopi sui, non possit prorogare jurisdictionem Judicis *secularis*, subjiciendo se ipsi saltem in civilibus, licet Episcopus illi possit jurisdictionem delegare 1. quia delegatus *non suo, sed delegantis jure*, & auctoritate judicat; at Judex, cujus jurisdictioni prorogatur, *proprio jure* judicat, quòd fieri non potest, si Judex sit laicus, & Reus, Clericus; cum laicus, jurisdictionis Ecclesiasticæ habenda *proprio jure*, sit incapax. 2. quia prorogatio fieri debet ad similia; jurisdictioni autem civilis valde diversa est ab Ecclesiastica, eaque inferior; ita Layman *cit. n. 4.*

247. Not. 4. quòd, licet mutans domicilium ex loco, statim liberetur à jurisdictione, quamprimùm territorio egressus est, ita,

ut

ut nisi per citationem ante prævntus sit, contra eum jurisdictio exerceri non possit; si tamen à Judice suo, ad instantiam partis, ante egressum, legitimè citatus, & ita in aliqua causa prævntus sit, non posse, mutando forum, per translationem domicilii, prius illud iudicium declinare, c. *proposuisti*. 19. h. 1. Verum in hoc casu limitanda est prima pars, ut non procedat, si mutans domicilium prius in loco, ex quo discedit, celebraverit contractum; tunc enim est in optione Actoris illum convenire, vel in loco domicilii noviter acquisiti, vel in loco domicilii relicti, ubi contraxerat; ita Felting. in *cit. c. proposuisti*, n. 3. Limitanda est 2. ut non procedat, quando cum mutato domicilio etiam mutatur status, ut si sit effectus Clericus; tunc enim ratione contractus in loco relicto conveniri debet coram Judice Ecclesiastico (quod etiam verum est, si prius in eo loco deliquit, & eo deserto mutavit statum) modo citatione prævntus non sit. Nam aliàs Judex secularis procedere poterit saltem quoad multam pecuniariam; Layman l. 4. *Theol. mor. tr. 9. c. 4. q. 3.* Dixi autem eximi à jurisdictione *prioris iudicis*, si ante citationem fiat, domicilii *mutatio*; non autem, si fiat solum *accumulatio* domicilii, ut notat Fagnanus in *c. proposuisti cit. n. 11.* Ex quo cum eodem colliges, jurisdictionem perpetuari per simplicem citationem iudicis sive ordinarii, sive delegati. Limitanda est 3. ex mente Fagnani *cit. n. 25.* si prius quis sit citatus, quam factus sit Clericus; quia licet exemptionis privilegium eximat universaliter à iudicis ordinarii jurisdictione, intelligitur tamen, si non sit prævntum privilegio citationis; ita ille n. 31.

ARTICULUS. II.

Quotuplex sit forum?

848. **R**Esp. à Theologis, & Jurisperitis forum communiter distingui in externum seu contentiosum, & internum, seu forum conscientie, & Pœnitentie Sacramentalis; sic Barbosa in *Collectaneis ad tit. de foro compet. n. 7.* illud vocari solet forum fori; istud jus, seu forum poli, c. *quicumque* 17. q. 4. & *gloss. inc. qui in Ecclesiarum, de Constitut. V. constituerunt. V.*

Tom. II.

dicta n. 24. Si autem quæras, an inter utrumque forum (internum scilicet, ac externum) faciendum sit aliquod discrimen? Resp. regulariter in utroque foro idem servandum esse, ita, ut quod in uno foro est licitum, vel illicitum, etiam tale censetur in altero: dixi *regulariter*, hoc enim limitari debet, ut non procedat identitas utriusque fori, in casu, quo forum externum procedit ex præsumptione aliqua, & secundum illam præter rei veritatem secretò cognitam, iudicat. Nam in foro conscientie, ubi constat de veritate, hæc in conscientia præferri debet præsumptioni falsæ; 2. ut non procedat, quando jus condemnat aliquem in pœnam, quæ sententiam iudicis requirit, adeoque ante illam in foro externo non obligat. Sed de his plura dedimus l. 1. tit. 2. de *Constitut.* ubi actum est de vi legum in ordine ad inducendam in subditos obligationem naturalem, seu conscientie.

Not. autem 1. ex hoc, quod jurisdictio dividatur adæquatè in *secularem, & Ecclesiasticam*, non rectè colligi Clericum posse conveniri coram quolibet Judice Ecclesiastico; aut secularè, coram quolibet seculari; quia cum *forum*, hoc loco aliud non sit, quam Territorium certum, vel sedes, seu locus certus, ubi talis Judex jus dicit, sic, ut si extra illum jus dicat, actus inanis sit, juxta illud *extra territorium jus dicenti, impune non paretur*, ut habetur L. *fin. ff. de jurisd.* sequitur, cujuslibet iudicis forum certis terminis restrictum esse, adeo quidem, ut non tantum nihil extra illud; sed nec supra, quidquam validè possit.

Not. 2. *Territorium* dici à terrendo, sicut *districtus* à distringendo, & à Pomponio L. *pupillus, q. territorium, ff. de verb. signif.* sic definiri: est universitas agrorum, finibus cujusque civitatis circumscripta, intra quos Magistratus terrendi, & jus dicendi facultatem habent. In qua acceptione forum pro territorio usurpatur, ut notat Salas de *leg. D. 10. sect. 1. n. 1.* *Districtus* idem est, quod territorium, Clement. *ne Romani, de elect.* quamvis, teste Aleiat. ad L. *citaram*, non desint, qui putent hanc vocem *Districtus* latius patere, quam *territorium*; & alii teste Spiegel. V. *eod.* qui dicant hac voce *Districtus* propriè significari, quidquid ultra territorium suum ex alieno cives ditioni suæ addunt, vel vir-

K 2

tute

tute bellicâ partum, vel quavis alia ratione.

Not. 3. *Territorium* sumi dupliciter 1. pro ipsa ditione, seu provincia, quæ alicui regenda committitur, ut in L. *pupillus*, ff. de verb. signif. 2. non pro certa, & limitata provincia, sed pro certis finibus, intra quos in personas certas jurisdictio est: & in hac secunda acceptione latius patet territorium, cum accipiatur pro circumscriptione jurisditionis circa locum, etsi non sit locus ipse, seu territorium materiale commissum: sic in urbe Romana erant plures iudices, singuli diversis causis præpositi, & in hoc sensu accipienda est lex finalis, ff. de jurisd. & oportet accipi districtum lib. 1. Feud. tit. 5. verb. *fin*. Est igitur discrimen inter utrumque territorium, scilicet materiale & circumscriptum, quod in materiali præcipue attendatur ad *materiale solum*, ut nempe ratione illius competat jurisdictio in personas: at in circumscripto attendantur præcipue personæ & causæ, ut nempe ratione illarum competit jurisdictio intra certum spatium.

251. Not. 4. etsi forum supponat pro territorio; posse tamen dari forum sine territorio, ut notat Haunoldus de jure, & just. tom. 5. tr. 1. n. 345. Cum enim forum etiam supponat pro Tribunali, seu loco publico, in quo Magistratus jus dicit, hoc autem stet, sine territorio; etiam illud stabit sine isto.

Not. 5. cum forum denominetur à jurisditione, quam Judex in tali territorio, vel loco, vi sui muneris ordinarii, aut delegati exercere potest, forum *contentiosum* dici, in quo Judex exercet jurisditionem contentiosam; pro quo observandum, jurisditionem in genere, esse speciem potestatis; & apud Sylvestrum V. *Jurisdictio*, dici à jure dicendo; & juxta Herullum describi, quod sit potestas, quæ præsidens alicui reipublicæ potest dicere jus statuendo, sententiando, vel cum obligatione subditorum ad habendum id, quod dicitur, pro justo. Brevius & clarus Azonus sic definit: *Jurisdictio est potestas de publico introducta cum necessitate jurisdicendi, vel aquiratis statuenda.*

252. Jurisdictio porro in genere vel est ordinaria, vel delegata. *Ordinaria*, ut ex verbis Modestini & Ulpiani colligitur, reside-

re dicitur in illo, apud quem legis actio est; & potest definiri *potestas publica, quæ alicui ex proprio munere, vel officio competit; Hinc delegata est illa, quæ ex speciali alicujus superioris mandato convenit.* Item jurisdictio alia voluntaria, alia contentiosa dicitur. *Voluntaria* solum inter volentes locum habet, eaque explicantur emancipationes, manumissiones, & adoptiones, quæ magistratus autoritate etiam extra territorium, & quocunque loco rectè fiunt, L. 2. ff. de offic. procons. ex quo etiam textu desumitur, quid sit *contentiosa*: nam est illa, quæ in invitos, aut præsentis, aut si per contumaciam desint, etiam in absentes exercetur.

Præter dictam jurisditionis divisionem alia dicitur *privativa*, alia *accumulativa*. *Privativa* (ut ait Fragosus p. 2. lib. 5. D. 14. §. 3. init.) est illa, quæ conceditur cum inhibitione, ne alii de illis causis, seu causâ possint cognoscere. *Accumulativa* est illa, quæ ita à Principe conceditur alicui, ut in ea concessione Princeps alios iudices nequæ inhibeat, nequæ privet jurisditione. Alia *anomala*, alia *libera*; *anomala*, quæ & extraordinaria dici potest, consuetudine, non jure subsistit: cujusmodi est iudicium curiarum dominicalium, qui circa feuda tantum, emphyteufes, & curialia pacta cognoscunt: *libera* dicitur, cum is, qui eam habet, non impeditur majore aliqua potestate, quo minus agat pro imperio, & lege agi jubeat; ita Budæus in poster. annotat. alia demum *publica* est, quæ datur in Principe, & Magistratu in ordine ad bonum publicum: alia *privata*, quæ datur in homine privato in ordine ad privatum bonum.

Ex his constat, sicut non est omnium iudicum eadem jurisdictio, sic nec idem omnium esse forum; unde ut iudicium sit fundatum pro hoc, vel illo foro, tanquam competenti, ad quod quis citatus comparere debeat, respiciendi sunt tituli, seu causæ, propter quas alicui iudici competat jurisdictio in hunc vel illum hominem, sic, ut dicatur de illius foro; de his porro titulis dicemus articulo statim sequenti.

ARTICULUS III.

Ex quibus titulis, seu causis constituatur
forum competens?

253. **S**upponendum, modos, seu titulos *ordinarios*, ex quibus alicui constituitur forum competens, communiter numerari quinque; nimirum 1. ratione domicilii; 2. ratione contractus; 3. ratione delicti; 4. ratione rei sitæ; 5. ratione continentiae causarum: *extraordinariè* autem constituitur alicui forum, vel ratione privilegii; vel ratione assumptionis in aliquod Collegium, seu Universitatem; vel ratione causæ, aut connexionis; de quibus in sequentibus. Unde aliqui titulum de continentia causarum reponunt inter titulos *extraordinarios* ratione illius sortiendi forum.

§. I.

Qualiter quis sortiatur forum ratione
domicilii?

254. **D**omicilium apud Latinos usurpatur pro longi temporis habitatione; apud Juristas, & Theologos (teste Azor p. 3. l. 13. c. 15.) ubi quis habet rerum suarum summam, id est, magnam partem, vel ubi *larem*; id est, familiam constituit, *L. Cives*, C. de incolis, l. 10. Unde ad domicilium requiritur, & sufficit unum è duobus; nempe quod quis familiam suam alicubi collocet animo nunquam recedendi, aut habeat magnam partem rerum suarum: & sic potest duobus locis habere domicilium. Juxta Belanum de Euthar. q. 74. a. 4. d. 3. n. 99. est discrimen inter *domicilium* & *habitationem*: nam *domicilium* quis habere dicitur, qui in aliquo loco, animo ibi perpetuò commorandi, degit: *habitationem* habere, seu habitare, dicitur in loco, ubi majori anni parte commoratur, & hoc vocatur *quasi domicilium*, quod v. g. Scholastici externi in loco, ubi student sortiuntur.

255. Suppon. autem domicilium aliud esse *originis*, & aliud *habitationis*: hoc obtinetur per solam habitationem, dum modo quis habeat animum nunquam recedendi: illud comparatur per nativitatem, & obtinetur ratione domicilii, quod parentes obtinent. Non acquiritur (ut notat San-

chez l. 3. matr. D. 23. n. 3.) per nativitatem in loco, ubi fortè parentes hospites, vel alicujus negotii causâ, etiam per decennium aderant. Nam talis fingitur natus in civitate, ubi parentes domicilium habent. Datur quoque differentia inter domicilium originis, & habitationis, quod illud immutabile sit, hoc verò mutari possit, animo nempe & desertione.

Suppon. 2. quod domicilium originis proprie contrahatur in eo loco, in quo aliquis natus est, ex parentibus ibi habentibus domicilium habitationis; nam si nascitur in aliquo loco, ubi parentes non habitant, sed tantum transeunt, vel ad tempus sunt, natus sortitur domicilium originis in loco, ubi parentes ejus habent fixam habitationem; sic Bartolus in *L. Filios*, C. de municip. & origin. n. 4. Abbas in *c. Roderolphus*, de rescript. n. 9.

Suppon. 3. quod filius sortiatur domicilium non tantum ratione originis propriæ, ut dictum est, sed etiam in loco originis *paternæ*, seu in loco, ubi pater ejus natus est, & habet originem propriam, *L. Cives* C. de incol. *L. assumptio*, §. *filius*, ff. ad municipalem; ex hoc sequitur, filium, civiliter & criminaliter convenire posse, ubi habet domicilium originis paternæ, *se ibi existat*; Bartolus in cit. *L. assumptio*, §. *filius*, n. 2.

Suppon. 4. natum, vivente avo suo, sortiri domicilium, & forum originis avitæ, si tunc adhuc sit in potestate avi; quo tamen casu non sortitur originis paternæ; sed hoc non procedit respectu aliorum ascendentium, ultra avum; Bartolus cit. n. 1. notat filium, vel filiam non sortiri forum originis *maternæ*, vel avorum *maternorum*, *L. filios*, 3. C. de municip. & origin. *L. Exemplo*, 36. C. de decurionib. nisi sit *vulgò quæsitus*, qui patrem demonstrare non potest; aut sit *spiritus*, qui per omnia matris conditionem sequitur adeoque etiam ejus originem; *L. vulgo*, 3. ff. de statu hominum.

Suppon. 5. domicilium originis adeo firmum esse, ut civis originarius, spectato jure civili, etiam mutato domicilio, jus originis retineat, ac ei renuntiare non possit, præsertim quoad munera, honores, & alia onera personalia, ut docet Gail. l. 2. observ. 36. n. 5. ubi tamen nota hoc non obstante, domicilium habitationis, quoad juris-

ditionem, principaliter domicilio originis, & ejus potiorer rationem habendam esse; glossa communiter recepta, *c. statutum. de rescript. in 6. §. cum verò. v. unam dietam.* Hinc enim est, quòd quis ratione habitationis fiat simpliciter subjectus Judici loci, ut non tantum præsens conveniri; sed etiam absens citari possit; esto ratione originis quis fiat subjectus Judici loci, solum, cum præsens est in tali loco. Abbas *c. 1. de foro compet. n. 6.*

Suppon. 6. Domicilium originis non ideo dici *immutabile*, quasi jura patriæ amitti non possint; sed quia, qui ex tali loco oriundus est, non potest negando tollere, ut inde non sit, unde oriundus est: ex comuni tamen ferè omnium locorū consuetudine, præsertim in Germania, receptum esse, ut civis originarius aliò transferens domicilium extra locum originis, perdat jura originalia, Gail. *cit. observ. 36. n. 7.* saltem quoad onera, & munera civitatis; Abbas in *c. postulasti, h. t. n. 5.*

357. Suppon. 7. Cum domicilium habitationis ibi quis habere dicatur, ubi larem, seu familiam, rerumque, & fortunarum suarum summam, seu substantiam constituit, animo perpetuò ibi manendi *si nihil avocet* (juxta Zoësum *de foro compet. n. 5.* ex *L. Cives, C. de incolis*) vel ubi possidet saltem majorem partem suorum bonorum, *L. 2. C. ubi Senatores, vel Clarissimi:* domicilium habitationis constitui *animo, & facto;* animo *ibi perpetuò habitandi* juxta dicta; & facto, seu actuali *ibi habitatione, L. domicilium, ff. de municipib. gloss. v. facto.* Quando dubium est de animo, præsumitur post continuam ibi 10. annorum habitationem; Bartolus in *L. 5. §. si tamen, n. 1. ff. de injuriis.*

Not. autem cum dicitur acquiri domicilium in aliquo loco, animo habitandi in tali loco perpetuò per hoc aliud non intelligi, quàm quòd accedat non ita, ut constitutū habeat inde non recedere; sed quod indefinito pro nunc termino velit in tali loco habitare, & facto ipso habitet, etiamsi quandòque: sed animo redeundi, recedat, *L. 7. C. de incolis, & ubi quis domicilium, ibi: Cives quidem origo, manumissio, electio, vel adoptio; incolas verò domicilium facit. Et in eodem loco singulos habere domicilium non ambigitur, ubi quis larem, rerumque ac fortunarum suarum summam*

constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet: unde cum profectus est, peregrinari videtur; quòd si rediit, peregrinari jam desistit.

Suppon. 8. Tunc dici quem habere *quasi domicilium* in aliquo loco, cum in eo habet habitationem ad longum tempus absque animo perpetuò ibi manendi. Per tempus *longum* hic intelligitur tempus supra mediam, vel majorem partem anni; quibus præmissis.

Dicendum, primum, & præcipuum titulum, seu modum sortiendi forum, esse in eo, quòd quis habeat domicilium in tali loco; constat 1. ex *L. 2. C. de Jurisdic. ibi: Nam ubi domicilium Reus habet, vel tempore contractus habuit, licet hoc postea transtulerit, ibi tantum eum conveniri oportet.* 2. ex *L. heres absens, 19. ff. de Judiciis, & ubi quisque agere, §. si quis, 1. ibi: Si quis tutelam, vel curam, vel negotia, vel argentariam, vel quid aliud, unde obligatio oritur, certo loco administravit: & si ibi domicilium non habuit, ibi se debet defendere: & si non defendat, neque ibi domicilium habeat, bona possideri patietur.* & *§. illud sciendum, 4. ibi: illud sciendum est, eum, qui ita fuit obligatus, ut in Italia solveret, si in provincia habuit domicilium, utrobique posse conveniri, & hic & ibi.*

Et quoniam, ut dictum est. Supra, potest quis habere plura simul domicilia (*vis enim prudentibus visum est, duobus locis posse aliquem habere domicilium, si utrobique ita se instruxit, ut non ideo minus apud ceteros se collocasse videatur, ut dicitur, L. 6. §. 2. ff. ad municip.*) in quolibet eorum fortitur forum. Ut autem quis in aliquo loco dicatur verè domiciliaris, requiritur *animus, & factum;* animus nimirum perpetuò ibi habitandi juxta *n. 257. & factum, ipsa scilicet actualis habitatio, ut dicitur L. domicilium, 20. ff. eod. junct. gloss. v. facto.* Hinc, ut quis in duobus, vel pluribus locis dicatur habere domicilium in ordine ad effectum sortiendi forum, requiritur, quòd in quovis eorum æquè instructus sit ad habitandum, & ferè æquali parte anni in quolibet habitet.

Pro horum ampliori explicatione not. 1. ut quis in aliquo loco dicatur acquisivisse domicilium habitationis, & incola censeatur, non requiri diuturnam inibi habitationem.

tationem; sed sufficere, quòd eò pervenerit animo ibi perpetuò habitandi; ut dicitur *L. Pupillus, §. Incola, ff. de verb. signif.* Neque ad hoc opus est, quòd habeat ibidem domum propriam; cum sufficiat habere, vel conductam, vel precariò concessam, modò habeat animum in eo loco perpetuò manendi; nam sine hoc non fieret incola, seu domiciliarius, esto ibi domum emeret, aut bona sua transferret, per *L. Libertus, 17. §. sola domus, ff. ad municipalem*; nec obstat, quòd, quis, postquam ad certum locum venit animo ibi perpetuò manendi, ex nova causa superveniente ab eo loco recedat animo alibi domicilium constituendi, ut habetur *L. Cives, 7. C. de incolis*; ex hoc enim duntaxat fit, quòd desinat esse incola; non autem, quòd prius non fuerit, ut colligitur ex *ist. L. 7.*

Not. 2. ubi occurrit dubium, an, qui per longum tempus, v. g. 10. annos, constanter habitavit in aliquo loco, censendus sit domicilium ibi nactus? si non constet de animo ibi permanendi, præsumendum esse, quòd sic, ut tradit Bartolus in *L. 5. §. si tamen, ff. de jure jurand. n. 1.* in quaestione autem, an, ut quis censeatur in aliquo loco incolatum, seu domicilium acquisivisse, sufficiat, quòd impetraverit jus civitatis? Resp. affirmative, si eò venit animo ibi permanendi; non autem secus ex dict. à n. 254.

260. Quæstio præterea est, an quis ratione domicilii habitationis fiat absolute subditus Judicis, vel Magistratus talis loci? adeoque tam in civilibus, quam criminalibus? Resp. quòd sic; nam domicilium habitationis est proprium, & naturale forum, teste Immo-
la in *c. fin. h. t. n. 9.* & tenet communis. Hæc porro subjectio, ratione domicilii habitationis, duo specialia explicat relatè ad Jurisdictionem Judicis, cui eo titulo sub-
icitur; primò, quòd ex hac Judex domicilii jurisdictionem habeat in personam, etiam ubi moratur extra territorium; secundo quòd subditum propter delictum, etiam extra territorium commissum (si non sit præventus extra territorium) citare, ac punire possit. Ratio utriusque est, quòd domicilium habitationis naturaliter, & absolute constituat subditum; & jurisdictionem semel acquisitam auferre non possit sola absentia à territorio, non mutato domicilio.

Confirmari potest ex *L. 1. C. ubi de crimin. agi oport. junct. gloss. V. Reperiuntur*; textus legis sic habet: *Quæstiones eorum criminum, quæ legibus, aut extra ordinem coërcentur, ubi commissa, vel inchoata sunt, vel ubi reperiuntur, qui Rei esse prohibentur criminis, perfici debere, satis notum est*; ubi alii volunt per illud verbum *reperiuntur*, denotari locum domicilii. Unde etiam in *c. fin. h. t.* expressè dicitur ratione domicilii quem sortiri forum, seu constitui de jurisdictione Judicis illius loci, ibi: licet ratione delicti, seu contractus, aut domicilii, seu rei, de qua contra possessorem causa moveretur, quibus forum quis regulariter sortitur, &c. ubi tamen nota, licet quis ratione domicilii habitationis fiat absolute subditus Judicis in tali loco; id tamen intelligi non utcumque quoad omnes causas; sed eas tantum, quæ sunt de foro, seu jurisdictione ejus; non enim Judex Laicus cognoscere potest de causis Ecclesiasticis; aut Ecclesiasticus de merè temporalibus incolarum, ut constat ex dict. à n. 66.

Not. 3. quando dicimus, quòd jurisdic-
tio Judicis ratione domicilii habitationis
extendat se ad personam subditi, etiam ubi
moratur extra territorium, debere intel-
ligi quoad illos actus, qui non sunt præjudi-
ciales Judici, vel Magistratui alieni territo-
rii, cujusmodi foret citatio *verbalis*, de qua
à n. 147. non autem *realis*, seu captura
ejus; hic enim actus judicialis est, per
quem aliena jurisdicção violaretur: secus
ille; hic fit in proprio territorio, licet ejus
intimatio fiat extra illud. Ex his deduci-
tur, quòd Judex domicilii concurrat cum
Judice delicti, ita, ut detur locus præventi-
oni, atque in optione Actoris sit, coram
quo hominem convenire malit, ut colligitur
ex *L. Heres. 19. §. ult. ff. de Judiciis.*

Quæstio 2. est, an & qualiter, ratione
domicilii originis, alicui constituatur fo-
rum? Resp. qualiter contrahatur domi-
cilium originis, constare ex dict. à n. 255.
quamvis autem hoc domicilio habitationis
prævaleat firmitate (nam hoc amitti potest,
si quis recedat à loco habitationis animo
non redeundi, ut diximus; illud autem
immutabile est; non quia jura patriæ
amittere non potest; sed quia nemo negando,
aut voluntate sua facere potest,
quòd

261.

262.

quòd non sit oriundus è tali loco) domicilium tamen habitationis prævalere illi quoad *jurisdictionem*: hoc enim facit subditum absolutè, etiam absentem, & dum est extra locum suæ habitationis; illud autem solum cum quis existit in loco originis; sic Bartolus in *L. assumptio*, §. *filius ff. ad municipalem*, n. 2. quod intellige quoad jurisdictionem contentiosam; nam, ut quis censeatur subditus Episcopi per ordinem ad recipiendum ab illo Sacramentum Ordinis, non est necesse, quòd existat in loco originis; sed sufficit, eum esse oriundum, seu ortum in ejus diocesi, de quo plura diximus *lib. 1. cit. 11.*

363. Questio est 3. an, & qualiter alicui constituitur forum ex quasi domicilio? de quo n. 257. & seqq. Ad hoc probandum assumitur *L. Sciens 2. C. ubi de criminib. agi oport. ubi dicitur: Sciens, liberum vendando, plagii crimen committit. Ab eo inique, qui super hoc queri potest, aditus competens Judex, si is quem puerum ingenuum vendidisse proponis, ibi degit, ibi causam cognoscer. junct. gloss. V. degit. & Abbat in c. Quod Clericis, h. t. n. 5. & facit lex Senatores, 2. C. ubi Senatores, ibi: Senatores in pecuniariis causis, sive in hac almattre sive in suburbanis degant, in judicio tam pratoriana, quam urbaria prefectura, nec non magistri officiorum (quoties tamen ad eum nostræ pietatis emanaverit iussio;) in provinciis verò, ubi larem foveat, aut ubi majorem bonorum partem possident, & assidue versantur, respondebunt. Ex hoc enim deducitur, vi quasi domiciliis posse quem conveniri, tanquam domicilio minus principali; nec ad quasi domicilium acquirendum requiri, quòd præter habitationem in tali loco per majorem partem anni, ibidem etiam habeat majorem vel certam partem bonorum; textus enim disjunctivè loquitur, ubi larem foveat, aut ubi majorem partem bonorum possident.*

Dices: complures sunt, qui existiment legendum, ubi larem foveat, aut majorem partem bonorum possident, & assidue versantur; & ideo etiam Pirhing *h. t. n. 19.* textum citatæ legis *Senatores, 2.* refert sub dictis verbis: ergo ad acquirendum quasi domicilium non sufficit sola habitatio in tali loco per majorem anni partem. Resp. illud & sumendum pro particula disjunctivè

etiva aut; si enim præter hoc, quòd quis in aliquo loco habeat majorem partem bonorum, requireretur etiam frequens ibi habitatio, non fortiretur quasi domicilium, sed domicilium simpliciter, ut colligitur ex dict. n. 257. Hinc stat, acquiri quasi domicilium solâ habitatione in loco per majorem partem anni, licet inibi partem majorem, aut dimidiam bonorum suorum non habeat; sic Innocent. in *c. ex parte*, 15. *h. t. n. 1.*

Præter dicta not. quòd ratione quasi domiciliis quis sortiatur forum, hoc est, fiat de jurisdictione Judicis, aut Magistratus in foro tam Ecclesiastico, quàm civili, ut colligitur ex *cit. L. 2.* hinc fit, milites præfidarios, famulos, vel ancillas in locis, quibus famulantur, sortiari forum, ratione quasi domiciliis, & conveniri posse super contractibus, & delictis, etiam alibi celebratis, & commissis, ex *L. cit.* id, quod Layman *l. 1. Theol. mor. tr. 4. c. 12. n. 1.* extendit etiam ad eos, qui aliquantò breviori tempore, quàm ultra medium annum, cum certo proposito permanendi, negotii, vel negotiationis causâ, tabernam, vel officinam in aliquo loco fixerunt, vel conduxerunt; *arg. L. heres. 19. §. proinde, ff. de Jud.* Hinc etiam ad quæstionem, an, qui quasi domicilium in aliquo loco fixerunt, acquirant ibi jus Parochiæ, & Sacramenta recipere possint ab Episcopo, vel Parocho loci, tanquam ejus subditi in foro poli? Resp. affirmativè quoad omnia, excepto Sacramento ordinis; Sanchez *l. 3. de matr. D. 23. n. 12. de quo lib. 4.*

Haunoldus tamen *tom. 5. tract. 1. n. 351.* ad hanc quæstionem, an, ut quis forum sortiatur, sufficiat quasi domicilium, hoc est, animus in loco manendi non modico tempore? respondet loquendo de foro contentioso negativè; sufficere tamen, ut jurisdictioni Episcopi & Parochi subiciatur quoad susceptionem Sacramentorum (excepto Sacramento ordinis) hinc Scholares non subijci Magistratui Civico, sed Academico, apud quem sunt immatriculati; sic ille; sed de Scholaribus *V. dicta lib. 5. tit. 5.*

Questio est 4. ubi forum sortiatur hæres, seu quod idem est, an hæres conveniri debeat in suo domicilio, an in loco defuncti? Resp. vel hæres convenitur ex personâ, vel contractu defuncti, aut quasi contractu;

tractu? vel sine respectu ad defunctum, cujus est hæres? si secundum, convenientus est, ubi habet ipse domicilium; si primum, responderi debet cum distinctione. Nam vel cœptum est iudicium cum eo in vivis, cui postea defuncto hæres es; vel nondum est cœptum cum eo, etiam per citationem? si primum? hæres ibi in ea causa respondere debet, ubi iudicium cœptum est. Nam *ubi iudicium cœptum est, ibi quoque fieri debet, L. Is qui Romæ, ff. de Judic. & ibi gloss. v. debet.* Si autem secundum? hæres conveniendus est in loco, ubi defunctus debuit, aut potuit, si ibidem reperitur; secus autem conveniri poterit in foro sui proprii domicilii, vel ubi sunt bona hæreditaria, *L. hæres, ff. de Judic.*

267. Cæterum, quando quæritur, quale domicilium attendi debeat in petitione hæreditatis? Resp. res hæreditarias ibi petendas esse, ubi mortis tempore extiterunt, ut habetur toto titulo Cod. ubi de hæred. agi oportet. Nisi alibi depositæ essent eo fine, ut illi perpetuò manerent, ut habetur *L. 35. §. 3. ff. de heredib. instit.*

268. Quæstio est 5. quid requiratur, ut quis censetur mutasse domicilium? Resp. tunc censei mutasse domicilium, quando à loco habitationis bonorum suorum majorem partem in alium locum transtulit, atque ipse etiam inde discessit, animo non redeundi, sed ibi manendi, quò se contulit; colligitur ex *L. ex facto, 37. §. Rerum autem, 3. ff. de heredib. instituend.* ubi decernitur, quòd quando duo hæredes instituti sunt (unus rerum Provincialium, alter Italicarum) hæres istarum, etiam servorum, vel pecuniarum in provinciam missarum, ut *mercès, ibi coempta, in Italiam devehantur*, hæres censendus sit, & ex rebus Italicis capiendæ sint.

269. Quæstio est 6. ubi vagi ratione domicilii sortiantur forum? ante resolut. not. fieri posse, quòd quis careat omni domicilio; constat ex *L. 27. §. 2. ff. ad municipalem*, ibi: *puto autem & hoc procedere posse, si quis domicilio relicto naviget, vel iter faciat, quærens, quò se conferat, atque ubi constituat: nam hunc puto sine domicilio esse*; quo posito: Resp. ex communi doctrina, ejusmodi vagabundos, qui nulli domicilio, aut quasi domicilio habent, censei habere domicilium in loco,

Tom. II.

ubi defacto existunt, ut ibi, ubi reperiuntur, conveniri possint, etiam ratione contractus alibi initi, ac puniri propter delicta alibi commissa; ut docet *gloss. marg. in c. ult. v. aut domicilii, lib. 6. h. t. gloss. in L. Hæres. 19. §. proinde, v. debeat, ff. de Judic. & ibi Bartolus n. 4. Abbas in c. ult. n. 13. h. t. v. Sanchez lib. 3. matr. D. 25. n. 5.*

Quæstio est 7. ubi Regulares, ratione domicilii, conveniri possint? Resp. quòd in loco Monasterii, in quo degunt tanquam in loco suæ habitationis; sic Abbas in *c. Postulasti n. 5. & c. fin. h. t.* Quia verò diversæ possunt esse causæ, propter quas quis in iudicio conveniri potest, nec quilibet Judex loci (in quo quis domicilium, aut quasi domicilium habet) cognoscere potest *de quibuslibet causis*, ut constat ex dict. à n. 254. nec etiam *de quibuslibet personis*, ut certum est, non hoc ipso, quòd quis in aliquo loco ratione domicilii sortitur forum, fit de jurisdictione cujuslibet iudicis, talis loci; nec enim ullus Judex Laicus cognoscere potest de causis Spiritualibus; licet in temporalibus sit Judex competens; & sic de aliis. Unde Religiosus conveniendus est coram suo Superiore; domicilium porrò habitationis, quòd habent Regulares in loco Monasterii, quo degunt, durat, dum ibi manent; & mutatur eorum translatione in aliud Monasterium.

Quæstio 8. est, ubi Clerici non Regulares conveniri possint ratione domicilii? quæstio fieri potest de causis tam Ecclesiasticis, quam temporalibus. Ante resolut. not. Clericum non regularem censei habere domicilium habitationis in loco, ubi habet beneficium, postulans residentiam; non autem secus; ut ex communi doctrina tradit Innocent. in *c. Exore, 17. de Privileg. & colligitur ex c. dilectus, 29. de Rescript.* si dicas: ergo talis Clericus habebit plura domicilia habitationis, si habeat plura beneficia residentiam exigentia. Resp. cum distinctione, & concedo illatum, si in utroque æqualiter per se ipsum deserviat v. g. anno dimidio in uno; altero, in altero: nego autem illatum, si uni tantum deserviat per se ipsum; alteri per Vicarium; quibus positis: Resp. Clericos non regulares ratione domicilii, quòd habent titulo beneficii, in causis Ecclesiasticis convenire debere coram talis loci iudice

L

Eccle-

Ecclesiastico ; nam de his Judex Laicus cognoscere non potest ex dict. id, quod etiam procedit in causis personalibus, eorum, tam criminalibus, quàm civilibus; imò & realibus rerum temporalium, nisi forsan in aliud consentiat eorum Superior Ecclesiasticus, ut diximus à n. 66. aut causa temporalis versetur circa onera rerum temporalium, quæ cum tali onere, tanquam affixo rei, ad Ecclesias, ac personas Ecclesiasticas ransiverunt ratio constat ex dict. à n. 66.

§. II.

An, & qualiter quis sortiatur forum ratione delicti?

272.

Aliqui distinguunt inter crimen, & delictum. *Crimen* enim interdum sumitur pro quolibet peccato, sed propriè significat peccatum grave, & quod accusatione, atque condemnatione dignum est, ut colligitur ex *Concilio Toletano, c. Unum, 25. dist.* in hac etiam significatione usurpatur à Legistis, & pro ipsa accusatione sumitur *L. 2. ff. de crimine expil. hered. Delictum* autem ex sua primæva impositione significat peccatum omissionis: *Delictum* enim dicitur quasi *derelictum*, & *omissum*, & est desertio boni, ut docet Hugo in *Miscell. c. 185.* & Isidorus *lib. different. c. 79.* addit S. Thomas *22. q. 79. à 4. ad 1.* delictum strictè sumi pro omissione pertinente ad Deum, vel quando homo scienter, & ex contemptu omittit id, quod facere debet. S. Gregor. II. *Moral. c. 21.* affirmat sumi pro peccato cordis: unde illud Psal 68. *Delicta mea à te non sunt abscondita.* Aliqui putant esse peccatum, quod extenuat ignorantia, juxta illud psal. 18. *Delicta quis intelligit.* Sed in præfens hæc distinctio non observatur. Cæterum varia est criminum, & delictorum divisio, de quibus latè egimus *lib. 5. Crimen* in eo rigore, quo accipitur pro peccato accusatione, & condemnatione digno est multiplex tam in genere, quàm in specie. In genere vel est publicum, vel privatum; vel occultum, vel grave, vel enorme, vel merè Ecclesiasticum, vel merè civile, vel mixtum: item inexpiabile, piacularè, capitale, & criminofum. *Publicum crimen* (quod *populicum* vocat Molina *tom. 4. D. 44. n. 1.*) teste Lessio *l. 2. c.*

30. D. 3. dicitur illud, cujus accusatio cui libet concessa est, ex eo, quod illius punitio ad publicam utilitatem spectet, *L. 1. & 2. ff. de publ. judic.* Tale est. 1. omne, quod directè fit contra Deum, vel res divinas, ut hæresis blasphemia; 2. quod fit contra majestatem Principis, aut Reipublicæ, quale omne læsæ majestatis; 3. quod, licet fiat contra privatam personam, lege tamen statutum est, ut pro *publico* habeatur, quale est homicidium, adulterium, peculatus, ambitus, crimen falsi, repetuntarum, annonæ, vis publicæ, vel privatæ. *Crimen privatum* dicitur, cujus accusatio solùm concessa est ei, qui injuriam, vel damnum passus est, ut crimen furti, injuriarum, Stellationatus, *L. fin. ff. de privat. delict.* Quando privato crimini statuitur pœna pecuniaria, fisco applicanda, docet Bartolus in *rubr. ff. de popular. action.* posse ad eam pœnam accusare quemcùnque de populo: oppositum tenet Baldus in *rub. C. qui accus. non poss.*

Crimen merè Ecclesiasticum est illud (ut exponit Azor *p. 2. l. 3. c. 53.*) cujus prohibitio ortum habet *ex solo jure canonico*, vel simul cum jure divino, aut naturali, sed absque civili; ac proinde de illo solùm cognoscitur, & judicatur ex præscripto juris canonici, non civilis; qualis hæresis. *Merè civile* est illud, cujus prohibitio ortum habet ex jure civili, non canonico; proindeque solùm judicatur, & plectitur ex præscripto legis civilis, quale v. g. peregrare urbem nocte post signum. *Mixtum*, seu mixti fori est, quod spectat ad utrumque forum, utpote prohibitum tum jure canonico, tum civili, de quo proinde Judex Ecclesiasticus & secularis cognoscere, & judicare potest; quale est sacrilegium. Sed in his non omnes conveniunt.

Grave peccatum, seu crimen, vel delictum videtur coincidere cum lethali, si accipiat *formaliter*; secùs, si *fundamentaliter*, ut rectè asserit Lugo de *Incar. D. 5. sect. 5. à n. 74.* Nam grave peccatum, v. g. adulterium, sumitur dupliciter primò *fundamentaliter*, si committatur cum sola advertentia ad oppositionem, quam habet cum ratione naturali, & cum ignorantia, vel in advertentia invincibili ad oppositionem, quam habet cum Deo, prout offensa illius est: Secundò *formaliter*, quando committitur cum scientia vel advertentia ad oppositionem,

273.

274.

nam, quam habet cum Deo, cui displicet. Prioris gravitas dicitur Philosophica, utpote contra naturam, de qua tractant Philosophi; posterioris Theologica, utpote contra Deum, de quo agunt Theologi. *Enormia* (ut rectè Sylvester V. *cod.*) dicitur, quasi extra normam, vel sine norma, seu mensura; & sonat aliquid excessivè magnum, semperque in malum.

275. Enormia in jure vocantur dupliciter, primò quoad normam penitentia, quando hæc plenè reduci non potest ad delendam culpam cum pœna, quin semper aliquid remaneat de pœna; quia scilicet impedit ordinis executionem, & beneficii detentionem, etiam post penitentiam, quale homicidium voluntarium dist. 50. c. *minora* & 1. q. 7. c. *si quis omnem, heres. 1. q. 1. ventum*; & Simonia in ordine, vel beneficio: Secundò, quoad dispensationem, ita ut hanc non recipiat, qualis simonia in beneficio 1. q. 1. c. *erg.* Sic dicuntur enormia omnia delicta, quæ inducunt infamiam civilem, id est, ex quibus quis remanet infamis etiam post penitentiam, 3. q. 7. §. *porro.* & 2. q. 3. §. *Hinc colligitur.* Adde ex c. *pervenit, de sent. excom.* prudentis arbitrio esse relinquendum, quæ sint delicta enormia; Fatuacius in *praxi q. 8. n. 59. his præmissis.*

276. Communis doctrina tenet, quemlibet, ratione delicti, sortiri forum, hoc est effici subditum ejus, in cujus territorio deliquit. *Prob. 1. ex c. Postulasti, 14. h. t.* cum enim quæsitum esset ab Innocentio III. an, si beneficiatus (v. g. Parochus) in loco beneficii sui resideat, sed domicilium patrimonii sui habeat in alia Diœcesi, atque inibi delinquat, ab Episcopo illius loci puniri possit; maxime, si agatur de privatione beneficii, aut depositione ab officio, quod in alia Diœcesi habet: respondit Papa, quod ab Episcopo loci, in cujus Diœcesi deliquit, sententia privationis, aut depositionis, in eum ferri debeat; sed, ab altero Episcopo executioni mandari.

Prob. 2. ex c. 1. de Raptoribus, ubi dicitur de illis, qui de loco ad locum iter faciunt, & ibi rapinas, & depredationes peragunt, ab illius loci Prælati excommunicandos esse, nec permittendos ante ex parochia (intellige Diœcesim) illa exire, quam dignè, quæ perpetrarunt, emendent: quorum excommunicatio proprio Episcopo significanda est, ne eos recipiat, antequam

Tom. II.

illuc redeant, ubi rapinam fecerint, & omnia plenè emendent.

Confirmari potest ex *Authent. in qua Provincia, C. ubi de criminib. agi oportet*: *Qua in Provincia quis deliquit, aut in qua pecuniarum, aut criminum reus sit, sive de terra, sive de terminis, sive de possessione, sive de proprietate, sive de hypotheca, aut de alia qualibet occasione, vel de qualibet re fuerit reus: illic etiam iudicij subjaceat; quod jus perpetuum est. Si ergo ambo, & Actor, & Reus sint in provincia: illic, omni privilegio cessante, res expediatur.*

Hæc regula communiter extenditur primò, ut procedat universaliter de quovis delicto, L. 1. C. *cod. junct. gloss. V. quæ legibus, & V. extra ordinem*; secundò, ut procedat etiam de persona in dignitate constituta, ut si in aliena diœcesi delinquat Archiepiscopus; *arg. L. 3. ff. de offic. Præsid.* sed limita, ut non procedat, si delinquat in Diœcesi sui Suffraganei, vel subditi. *Jul. Clar. in practic. crim. §. fin. q. 35. n. 14.* ne inferior in Superiorem jus dicat; tertio, ut procedat etiam Exemptis tam Regularibus, quàm Secularibus, si delinquant in loco secundùm se non exempto; excipe nisi habeant privilegium, ut etiam ratione delicti à Locorum Ordinariis Exempti sint. Quomodo autem in hoc puncto privilegia Regularium per Trid. restricta sint, habetur *sess. 6. de reform. c. 3. & sess. 25. de Regularibus. 14. diximus l. 1. à n. 1294.* ubi quæstio est, qualiter Exempti subjiciantur legi jurisdictionis Episcopalis, quoad punitionem? quartò, ut etiam procedat de Clericis delinquentibus respectu Judicis secularis, *si delictum ex iis sit, quibus perditur privilegium Clericale, seu forum*; Abbas in *cit. c. fin. n. 11.*

Limitatur tamen in pluribus casibus. Primò enim in ea regula (*delinquens sortitur forū in loco, ubi deliquit*) intelligi debet solum quoad forum externum, & contentiosam; non autem internum, & conscientiam. Nam jura hæc loquentia de foro competente accipiunt forum, vel pro jurisdictione, quæ exercetur in litibus dirimendis, aut delictis puniendis; vel pro loco exercendarum litium, & judiciorum, ut notat Barbofa in *rubric. hujus tit. n. 6.*

Secundò intelligi debet non de quocunque delicto; sed commissio contra jus naturale,

urale, divinum, vel humanum, quo quis etiam independenter à tali loco tenetur, ut est blasphemia, homicidium, vel transgressio legis positivæ communis; qualis est abstinentia ab esu carniū certis diebus; nam si delictum solum sit contra statutum locale, quo advena, vel peregrinus non ligatur, committendo, vel omittendo aliquid contra tale statutum, non delinquit; adeoque ratione talis commissionis, vel omissionis non fortitur forum, in eo loco, *titulo delicti*; dixi, *quo non ligatur*; nam quâ ratione peregrini, advenæ, seu forenses ligentur legibus, seu statutis localibus, exposuimus *lib. 1. tit. 2. à n. 570.*

278. Tertio intelligi debet solum de delicto commissio *ibi*, hoc est, in loco illo, cujus foro ejus titulo subjiendus est; non autem commissio *alibi*; sic cum communi Jul. Clarus, §. *fn. q. 38. n. 16.* & alii; cujus ratio est, quia ratio statuendi Reo forum in loco delicti est, quia ibi Republicam offendit pravo exemplo; adeoque, ut aliis sit in cautelam, ne sequantur, ibi pro aliorum terrore puniri debetur; dicitur *Capitolium, 28. §. Famosus, 16. ff. de pæn. ibi: Famosos latrones in his locis, ubi grassati sunt, furcâ figendos, compluribus placuit: ut & conspectu deterreantur alii ab iisdem facinoribus, & solatio sit cognatis, & affinibus interemptorum, eodem loco pæna reddita, in quo latrones homicidia fecissent: nonnulli etiam ad bestias hos damnaverunt. & Authent. ut nulli Judicium, 2. si verò quis, Collat. 9. Novell. 134.*

279. Dices: Ergo si quis in uno territorio, Lincii v. g. commisit furtum, & deprehenditur in alio territorio, Græcii v. g. Judex Græcensis propter furtum Lincii commissum, non poterit punire, si nullo alio illi titulo subjectus sit. Resp. Illatum negari à Bartolo, in *L. Si dominium, 48. ff. de furtis, n. 2. & tradi à pluribus*, sic in praxi observari in pluribus locis: ceterum stando juri scripto, sententia negans illatum probabilior, ac æquior est; nam in tali casu ejusmodi fur nullo titulo est de foro Judicis Græcensis; ex hoc enim, quod rem, Lincii ablatam furto, præcisè deferat Græcium, non committit novum delictum Græcii; & continuatio prioris delicti, alibi commissi (consistens in injusta retentione rei alienæ) sicut non tribuit novam actionem furti, sic non parit novum forum;

prima pars est ex *L. ei, qui, 9. ff. de furtis, ibi: ei, qui furto actionem habet, assiduâ contrectatione furis non magis actio furti nasci potest*; altera tenet à pari.

Hæc tamen negativa suas etiam habet exceptiones. Primò, si locus delicti commissi, & alter, in quo fur cum re furtiva moratur, confederati sint consuetudine inibi receptâ, ut delinquens ex loco delicti confugiens ad alterum, etiam in hoc puniri possit; sic enim in ejusmodi casu huic ab illo videtur per consuetudinem receptam facta jurisdictionis commissio per ordinem ad talem casum.

Secundo, si fur delinqueret in loco, etiam unico furto, in quo ex vi statuti localis suspendendus est fur, qui v. g. plura furta commisit, aut à repetitis furtis famosus est; tunc enim à Judice loci, ubi ponit furtum ultimum, fure adjudicari potest, *arg. L. 3. C. de Episcopali audient. ibi: his ergo tali sub distractione damnatis, indultum nostræ serenitatis, eo præcepti sine concludimus, ut remissionem veniæ crimina, nisi semel commissâ, non habeant; nec in eos liberalitatis Augustæ referatur humanitas, qui impunitatem veteris admissi non emendationi potius, quàm consuetudini deputaverint*; sic Julius Clarus *l. 5. sentent. 2. furtum, n. 10.*

Tertio, si quis sit proscriptus ita, ut possit à quovis occidi, ubicunque reperitur, in quovis loco, saltem territorii proscribenti subjecti, morte puniri potest; sic Julius Clarus *cit. §. homicidium, n. 52.*

Quæstio ulterior est 1. An quis (si delictum est inchoatum in uno loco, & perfectum, seu consummatum in alio) fortitur forum in loco delicti inchoati, vel in loco perfecti? Bartolus in *L. Libellorum, ff. de accusat. n. 7.* docet, fortiri forum in loco delicti consummati; non autem, inchoati; probabilius tamen videtur, talem fortiri forum in utroque loco, & inter ipsos Judices eo casu dari locum præventioni. Nam sic censetur in utroque loco deliquisse; sic Abbas in *c. fin. h. t. Jul. Clarus §. fn. q. 38. n. 9.* ut apertè colligitur ex *L. 1. C. ubi de crimin. agi oport. ibi: Quæstiones eorum criminum, quæ legibus, aut extra ordinem coërcentur, ubi commissæ, vel inchoatæ sunt, vel ubi reperuntur, qui rei esse perhibentur criminis, perfici debere satis notum est.*

Quæ

282. Quæstio est 2. Quid dicendum, si quis delictum committat (v. g. hominem occidat) in confiniis duorum territoriorum? Resp. Subjectum esse jurisdictione utriusque loci, ratione delicti; sic Abbas *cit. n. 26.* Clarus *cit. n. 11. arg. L. arbor, ff. communi dividundo*, ubi dicitur: *Arbor quæ in confinio nata est, ad utriusque fundi dominum pertinet.* Si autem quis existens in uno territorio mandat fieri delictum in alio territorio, juxta nonnullos mandans sortitur forum non in loco *mandati*, sed in loco, ubi delictum *commissum est*; quia pœna regulariter irrogatur solum effectu secuto; hinc, mandans non tenetur ad pœnam nisi ratione effectus secuti ex mandato; effectus autem ponitur secutus non in loco mandati; sic Fachin. *l. 9. Controv. c. 25. ex L. Heres, §. apud Labeonem, ff. de Judic. & L. Si ut proponitur, ff. de fide juss.*

Sed alii contrarium tenent, sortiri nempe forum *in loco mandati*; quorum sententiæ vera videtur, si pœna inponitur solum *propter mandatum, seu conatum*, etiam effectu non secuto; qualiter fit in crimine Assassinati (*arg. c. 1. de homicid. in 6.*) vel Læsæ Majestatis, *L. quoniam, C. ad legem Jul. Majest.* sic Farinacius in *prax. crimin. l. 1. tit. 1. q. 7. n. 48.* nam si delictum, prout subjicitur pœnæ, in ordine adhuc effectum, fit in loco *mandati*. Hinc quod in præfens de mandante delictum dictum est, etiam intelligitur de eo, qui ratum habet delictum, suo nomine in alio territorio, commissum; ita Julius Clarus *cit. n. 7.* & Farinacius, *n. 52.* is verò, qui alterum lethaliter vulneravit in loco, ex quo deinde hic in alio territorio decessit, censetur homicidium commississe ibi, ubi posita est in subjecto efficax ipsius causa, *arg. L. ait lex, §. 1. ff. ad legem Aquil. Bart. in L. 3. n. 6. ff. de accusat.*

283. Quæstio est 3. Quid dicendum, si Reus ex loco delicti fugiat ad aliud territorium? Resp. vel territorium, ad quod profugit, est sub eodem Principe? vel sub alio? si primum? tum Judex requisitus à Judice delicti, vel habitationis debet reum capere, & remittere, *L. Si cui, 7. §. fin. ff. de accusat.* ibi: *cum sacrilegium admissum esset in aliqua provincia, deinde in alia minus crimen:* Divus Pius Pontio Proculo rescripsit, *postquam cognoverit de crimine in sua pro-*

vincia admissio, ut reum in eam provinciam remitteret, ubi sacrilegium admisit. & L. Capitalium, §. famosos, ff. de pœn. de quo supra. Ex Authent. ut nulli Judicium, §. si verò quis comprehensorum, collat. 9. dixi requisitus; hoc enim exigit commune bonum, ne criminum impunitate, per fugam quæsitâ, crescat licentia delinquendi. Si autem secundum? non tenetur eum remittere, etiam rogatus, nisi sponte consentiat, & petitioni Judicis delicti annuat; ita Farinacius *cit. n. 10.* adeoque sic captus statim relaxari debet; Gail. *de pace public. c. 16. à n. 26.* excipe, nisi sit grassator, prædo, latro, aut ejusmodi pacis publicæ perturbator. Horum enim persecutio in Imperio extra territorium continuari potest, & eo loci, ubi deprehenduntur, Judici silti possunt; juxta *Const. Imperial. Anno 1559. Augustæ publicatam*, ut tradit Gail. *cit. n. 25.*

Cæterum Judex delicti, si Reus à Judice loci, in quo moratur, non reddatur, instare apud hunc potest, ut Reum arestet; &, si quod damnum intulit, satisfaciatur, sicut quilibet Creditor potest contra debitorem fugitivum: Judex porro, in cujus territorio Reus fugitivus moratur, ratione delicti alibi commissi, Reum punire non potest, nisi alio titulo (ratione domicilii) ei subiectus sit, nisi casus sit ex iis, de quibus num. præced. vel alio titulo.

284. Not. autem hæc dici spectato jure communi; nam multa sunt, in quibus aliter proceditur de consuetudine, & justè quidē, si consuetudo sit legitima, seu talis, quæ jus tribuit, adeoque pro lege suscipitur; dubitatur tamen, an valeat consuetudo, non remittendi Reum, ex loco delicti profugum, saltem si delictum sit ex gravioribus, & atrocibus? & Judex delicti eum repetit ad vindictam publicam; in delictis enim minoribus; vel ubi solum agitur civiliter, non videtur negandum; cum pro his casibus non militet eadem ratio.

285. Ad hanc dubitationem videtur dicendum, ejusmodi consuetudinem probabilius non valere; talis enim consuetudo est contra rationem naturalem, quæ docet delicta saltem atrocia, & in pravum aliorum exemplum non debere impunita relinqui; quod tamen fieret, si valeret consuetudo non remittendi ad instantiam Judicis loci, quo deliquit. Nam hic, ut ponitur, non

posset, eum punire; cum non sit in ejus territorio; nec etiam Judex, apud quem moratur; quia ratione delicti non est illi subditus, nisi ibi habeat domicilium; ergo à nullo; ergo sic eludi posset intentio juris naturalis, quam querit per vindictam publicam, ad exemplum populi, ut tollatur scandalum ibi datum. Et ita tenet Fachinæus l. 9. *Controvers. c. 23.*

286. Histamen non obstantibus, consuetudinem recepta in imperio habet, quod ejusmodi Reus non remittatur; sed, ubi deprehenditur, puniatur, ut testatur Julius Clarus §. *fin. q. 38. n. 20. & alii*; non quidem jurisdictione Judicis (ad quem profugit) competente ex delicto alibi commisso, ut per se constat; sed ex consuetudine jam recepta; quæ omnino recipi potest, cum per eam caveatur sufficienter malis, de quibus n. præcedente; si etiam ibi manerent impune. Solet tamen Judex captivitatibus, ob jus amicitiae, vel viciniae quandoque Sponte remittere Reum ad Judicem delicti, aut domicilii; quæ remissio plerumque fieri solet, datis reversalibus literis ipsius Magistratus, aut Domini, remissionem petentis, quod videlicet hujusmodi remissio jurisdictioni remittentis non sit præjudicio futura; ut tradit Gail l. 1. *de pace publ. c. 16. n. 30. & 31.* Layman l. 3. *Theol. mor. tr. 6. c. 5. n. 15.*

§. III.

Quomodo quis sortitur forum ratione contractus?

287. Communis tenet, quod quis ratione contractus in aliquo loco celebrati, in eodem sortitur forum, seu constituatur sub jurisdictione Judicis, in cujus territorio contractum celebravit. Colligitur 1. *ex c. fin. h. t.* ibi: licet ratione delicti, seu contractus, aut domicilii, sive rei, de qua contra possessorem causa movetur quibus forum regulariter quis sortitur. Deinde *ex c. Romana, 1. eod. in 6. §. contrahentes*, ibi: *contrahentes vero aliarum Diacesum, super contractibus initis in Remensi Diacesi ab eisdem (nisi inveniuntur ibidem) trahere coram se non debent invitos*: licet in possessionem bonorum, quæ ibi habent, etiam cum alibi copiam sui faciunt: si eorum auctoritate citati comparere contem-

nant, possint missionem facere contra eos: vel (si forte malitiose se ipsos occultent, ne citatio perveniat ad eosdem) decernere faciendam in possessionem bonorum, quæ in alia etiam Diacesi obtinere noscuntur; sed tunc loci Diacesan^o addenunciationem ipsorum facies hujusmodi missionem. Idem dicitur *L. Venire, & seqq. ff. de reb. author. Judic. possidend. seu vendend.* ibi: *Venire bona ibi oportet, ubi quisque defendi debet*: id est, ubi domicilium habet: aut, ubi quisque contraxerit. Contractum autem non utique eo loco intelligitur, quo negotium gestum sit: sed quo solvenda est pecunia.

288. Pro intelligentia dictorum jurium merito dubitari potest, quo sensu intelligendum sit, quod quis sortitur forum ratione contractus in aliquo loco celebrati? Resp. Hoc sensu, quod si quis ab altero contrahentium conveniatur, seu in jus vocetur super eo præstando, quod vi contractus debet, coram Judice loci, in cujus territorio contractus rei ipsa celebratus est, coram eodem respondere, ac se defendere teneatur; quando non est conventum de alio loco, in quo ea præstatio (solutio v. g. debiti) facienda sit. Nam si alius locus conventus sit, ibi conveniri Reus poterit, & conventus respondere tenebitur; tunc enim juris dispositione contractus ibi celebratus fingitur, ut constat *ex cit. L. venire, in præced. num.* ibi: *Contractum autem non utique eo loco intelligitur, quo negotium gestum est, sed quo solvenda est pecunia.*

Not. autem, ratione contractus præcisè, in aliquo loco celebrati, neminem sortiri forum in loco contractus. Constat *ex L. Heres. 19. §. proinde, ff. de Judic.* aliàs viator, & peregrinus in quovis loco, quem transit, si ibi divertat prandii gratiâ in hospitio, sortiretur forum; *gloss. magna. in c. 1. §. contrahentes, h. t. in 6.* tunc igitur ratione contractus sortitur quis forum in loco contractus, si in eo moram trahat, vel negotium ibi tractare ceperit, tabernam, officinam, vel quid simile conduxerit, &c. ut solent mercatores venientes ad nundinas, ut dicitur *cit. c. fin. h. t. & dict. L. Heres, ibi?* Nunquid dicimus eum, qui à mercatore quid comparavit advena, vel ei vendidit, quem scit inde confestim profecturum, non oportet ibi bona possidere, sed domi-

domicilium sequi ejus? at si quis ab eo, qui tabernam, vel officinam certo loci conductam habuit, in ea causa est, ut illic conveniatur? quod magis habet rationem. *Nam ubi sic venit, ut confestim discedat*, quasi à viatore emptis, vel eo, qui transvehatur, vel eo qui Paraplei emit, *durissimum est, quotquot locis quis navigans, vel iter faciens, delatus est, tot locis se defendi.* At qui quo constitit, non dico jure domicilii, sed tabernulam, pergulam, horreum, armarium, officinam conduxit, ibique distraxit, egit defendere se eo loci debet.

289. Not. 2. Quod scienter contrahens cum peregrino non possit eum convenire in loco contractus; quia censetur creditor fidem ejus secutus; secus contrahens ignorando cum esse peregrinum; colligitur ex cit. §. *proinde*, per seculum contrarium; si tamen peregrinus de fide vel fraude suspectus sit, convenire potest in loco contractus, vel saltem cogi ad satisfaciendum, quod solvere velit in loco domicilii, *gloss. in §. proinde, V. debeat, & sumitur ex L. 2. §. penult. junct. gloss. V. sola permissio, ff. de Judic.* intellige nisi aliter conventum sit de pretio. Ceterum dominus, habens Institorem extra locum domicilii, ibi conveniri poterit, ubi negotium cum Institore agitur, *L. Heres, §. apud Labeonem, junct. gloss. V. defendere ff. de Judic.*

290. Not. 3. Quando scriptura requiritur ad contractum vel ex natura contractus, vel ex pacto, per ordinem ad forum, non attendi locum contractus sed instrumenti confecti, *L. Contractus, 17. C. de fide instrum.*

Not. 4. Habentem forum in loco contractus ab Actore conveniri posse, ubi maluerit, vel in loco contractus, vel in loco domicilii; Abbas in *c. si diligenti. 10. h. t.* Unde licet conjuges in Dicecesi, ubi contraxerunt, ratione talis contractus sortiantur forum in ordine ad hanc causam, ut si unus eorum moveret litem de nullitate propter impedimentum prius ignoratum, & nunc cognitum, possit alterum convenire coram Ordinario illius Dicecesis eo fine ut probato impedimento, nullitas matrimonii ab eodem declaretur; posset tamen eundem, si vellet, convenire in loco domicilii, etiam non requisito Judice loci contractus, & cognito impedimento diri-

mente, quo stante matrimonium contraxerunt, declarare nullitatem; quia licet ex contractu constituatur forum *positive*, nimirum *ut possit ibi conveniri*; non tamen *privative*, seu *exclusive*, *ut non possit alibi*, v. g. in foro domicilii habitationis, vel originis, si ibi sit; de quo plura *lib. 4.*

Not. 5. Eum, qui fortitur forum in loco contractus. Judici ejus loci subijci solum, *si sit in eo loco*, in quo contraxit; etsi contumax sit, compelli posse ad respondendum; sit autem absens si, citari non posse ad comparandum personaliter; bene tamen, ut respondeat, & si contumax sit, actorem in ejus bona immitti posse, si quæ habet in eo loco; si secus, ad id requirendum esse ejus Ordinarium, *c. 1. §. contrahentes h. t. in 6. quem retulimus supr. n. 287*

Not. 6. In contractibus regulariter non esse locum remissioni, sicut diximus evenire in delictis à n. 279. Nam ut crimina puniantur in loco, ubi patrata sunt, rei publicæ interest, ut homines eo loco scandalizati, alieno exemplo cauti fiant.

Hoc tamen, quod postremo diximus, limita primò, nisi renuntiaverit legitime foro domicilii; *gloss. in L. 1. V. pro non dato, ff.* Si quis in jus vocatus, & Bartolus *ibid. n. 3.* deinde nisi agatur de reddendis rationibus, ubi quis administrationem gessit, *L. 1. & 2. C. ubi de rationib. agi oport.* tertio, nisi in loco contractus causa jam judicialiter ccepta sit; *L. ubi acceptum, ff. de Judic.* quarto, nisi contrahens juraverit, se in foro contractus responsurum; Covarruvias in *c. 10. ff. de jurisd. Ordinar n. 6.* quinto, nisi contrahens promiserit ibi non tantum solvere, sed etiam se sistere. Tum enim remissio locum habet, quando agitur de solutione; Covarruvias *cit. n. 6, §. 12.*

Not. 7. Hic nomen *contractus* sumi late, ut veniant sub eo etiam, pacta ex quibus taltem in uno nascitur obligatio, ut donatio tutelæ administratio &c. *L. Heres, §. 1. & L. omnem, 20. ff. de Judic.* ibi: *Omnem obligationem pro contractu habendam existimandum est, ut ubicunque aliquis obligetur. & contrahi videatur: quamvis non ex crediti causa debeat.* Hinc etiam intelligitur de distractu, seu dissolutione contractus, v. g. ratione doli, læsionis, ætatis, &c. Barcol. in *c. fin. h. t. n. 5.* non autem de sola confirmatione contractus, facta in forma

forma communi; hæc enim nihil operatur, aliquid innovando; sic Gail. l. 2. observ. 1. n. 4. in contractu autem conditionali, quoad forum ratione illius contrahendum, attenditur locus, in quo celebratus est; non autem locus, in quo impletur conditio; sic Barbosa cit. n. 4.

293. Not. 8. Tutorès, & negotiorum gestores conveniri posse in loco, ubi negotia gesserunt, juxta textum legis 19. §. 1. ff. de Judic. Si quis autem indebitum solvit, conditione indebiti solutum repetere potest quolibet loco, quod specialiter dispositum est L. 27. ff. de condict. indebiti ibi: *Qui loco certo debere existimans indebitum solvit, quolibet loco repetet: non enim existimationem solventis eadem species repetitionis sequitur.*

294. Not. 9. Generaliter verum esse, quod debitor citari possit, & cogi ad comparandum in loco contractus, nisi pati velint immisionem in bona, si quæ ibi habet per L. hæres absens, 19. §. 1. ff. de Judic. ibi: *Hæres absens ibi defendendus est, ubi defunctus debuit, & conveniendus, si ibi interveniatur, nulloque suo proprio privilegio excusatur.* Si quis tutelam, vel curam, vel negotia, vel argentariam, vel quid aliud, unde obligatio oritur, certo loci administravit: & si ibi domicilium non habuit, ibi se debeat defendere: & si non defendat, neque ibi domicilium habeat, bona possideri patietur. Si autem ibi non habet bona conveniendus est in loco domicilii, nisi teneatur actione tutelæ, negotiorum gestorum, mandati pro socio, quibus hoc est speciale, ut tales ad locum remittendi sint, quoniam ibi suppetit totius rei instructio amplior, aut jurejurando promiserit, se certo loco soluturum.

295. Not. 10. Legatus non posse in loco conveniri, quo ante legationem contraxerant; bene tamen ex delictis in legatione commissis cogi judicium Romæ pati sive ipsi admiserint, sive servi eorum, ut dicitur L. non alias, 24. ff. de Judiciis. deinde L. si quis, 8. ff. eod. De Legatis aliud privilegium habetur, nimirum quod non possint conveniri in loco legationis actione de constituta pecunia, licet constituerint se illo loco soluturos, si alio tempore contraxerunt; constat ex textu ibi: *Si quis in legatione constituerit, quod ante legationem debuerit: non cogi eum ibi judicium pati, ubi constituerit.*

Not. 11. Si contractus celebratus sit, implemento ejus, vel solutione in alium locum destinata, forum constitui in loco destinato, nisi creditor debitorem malit convenire in loco domicilii, L. Hæres, §. ult. ff. de Judic. quia quilibet censetur in eo loco contraxisse, in quo, ut solveret, se obligavit, L. 21. ff. de oblig. & act.

Not. 12. Mercatores venientes ad nundinas non posse in loco nundinarum conveniri ratione debitorum aliàs contractorum per L. unic. C. de Nundin. ibi: *Vel sub pretextu privati debiti aliquam ibidem concurrentibus molestiam possint creare.* Aliud est dicendum de debitis in nundinis contractis, alioquin infinitis fraudibus via aperiretur, & multi ementes, ne tamen de præsentibus solventes, se subducerent, & solutionem incertam, vel difficilem creditori redderent.

Quæstio ulterior est, an, quis non obstante privilegio Apostolico (ne ultra Dicecesin, vel ultra mare valeat trahi) possit conveniri in loco, ubi se solutorum promisit? Resp. Hanc quæstionem motam coram Gregorio IX. ut habetur in c. dilecti, 17. h. t. Duo enim cives Romani literas impetrarunt à Gregorio IX. ad Abbatem Parisiensem contra Rabanum Episcopum Dulmensem propter summam pecuniæ illis debitam. Eo mortuo Abbas vigore rescripti citavit successorem Episcopum: is excepit *Anglos à Sede Apostolica habere privilegium, ne citra mare conveniri possint*, quamobrem Abbas in causa progredi intermisit. Respondit hic Gregorius IX. *exceptionem hanc non subsistere*; quia, tametsi ponamus privilegium tale haberi, tamen *non prodesset iis, qui se certo loco responsuros, aut soluturos adversariis promiserunt: cum tales conveniri possint, tum in loco domicilii, tum in loco ubi solvere promiserunt.* Quare mandat Episcopo Dulmensi, ut dictis civibus satisfaciat, tum quoad pecuniam debitam, tum quoad æstimationem expensarum & damnorum, rejectis usuris; alioquin mandatur Abbati, ut non obstante illo privilegio in causa sibi commissa juxta priores literas procedat. Ex qua decisione Pontificia respondendum ad quæst. propositam affirmativè cum communi, ut tradit Vivianus in Rationali l. 2. juris Pontif. pag. 32. & alii.

Deducitur præterea 1. Quod privilegium,

giatus, ut non teneatur respondere nisi in certo loco, si in alio loco respondere, vel solvere promittit, ibi poterit conveniri, & etiam ubi habet domicilium; sic Barbosa in *dist. c. dilecti, n. 1.* ex quo habetur, licet habens albi domicilium, etiam in alio loco ratione contractus in hoc celebrati sortiatur forum, non ita tamen alligari loco contractus, ut super hoc non possit conveniri in loco domicilii, si Actor velit; constat ex textu *c. dilecti, ibi: Cum ibi* (nimirum ubi contraxerunt) *& ubi domicilium habent, valeant conveniri*, in quæ verba glossa ibid: *sic est in electione Creditoris, ubi malit ipsum convenire.* Hinc quando Reus jure communi, non jure speciali, habet duos Judices, poterit Actor ex his, quem maluerit, eligere ad actionem proseguendam, per *gloss. 2. post princ. & gloss. 7. l. 2. tit. 1. lib. 2. fori leg. Covar. var. lib. 1. c. 18. n. 6.*

300. Deducitur 2. Successorem posse conveniri in causa Ecclesiæ suæ ex rescripto impetrato contra Antecessorem in illa; consequenter in loco contractus à Prædecessore celebrati; colligitur ex textu, ibi: *Contra R. Prædecessorem tuum literas impetrassent*; quod intellige, quando ab Antecessore causa inchoata est nomine dignitatis, ut rectè observat Decianus in *c. quia 11. de Judiciis, n. 8.* ubi dicitur, quod per rescriptum impetratum contra violentem, conveniatur, qui scienter succedit in vitium. Et quoniam Successor Episcopi non tantum respondere, sed etiam solvere debuit æs alienum in Ecclesia sua contractum (utique nomine, ac in utilitatem Ecclesiæ) rectè sequitur etiam ad hæc onera teneri Successorem, quæ à Prædecessore contracta sunt, nomine, ac in utilitatem dignitatis, vel Ecclesiæ.

301. Deducitur 3. Privilegium Apostolicum, ut aliquis per literas, seu rescriptum Papale trahi non possit extra Diocesim, vel ultra mare, intelligi debere juxta materiam subjectam, & ordinariè; secus autem est, si in alio loco contraxit, aut quasi contraxit, vel deliquit; tunc enim ex speciali causa forum acquirit, cui per generale privilegium derogatum non censetur. Accedit, quod privilegium, quatenus tendit in alterius, videlicet Actoris præjudicium, strictam interpretationem mereatur, juxta doctrinam Innocentii: privile-

Tom. II.

gium *latè* interpretandum esse, quatenus agitur de jure concedentis; *strictè* autem, quatenus agitur de juribus aliorum, quibus præjudicatur. Videtur tamen textus in hac materia intelligendus in eo qui tempore contractus jam habebat privilegium, cui tacitè videtur renuntiare quoad effectum, ut in loco contractus conveniri possit. Sic Barbosa in *cit. c. dilecti, n. 4.*

302. Quæstio altera est, juxta cujus loci jura, vel consuetudinem contractus regulari debeat in casu, quo alius est locus contractus; alius, destinatæ solutionis? Resp. Quæstionem posse intelligi vel ordinatione litis, seu judicii, quæ oritur ex contractu celebrato; vel de litis & causæ decisione, aut ipsius contractus solennitate, & substantia; quo posito dicendum, litis ordinationem fieri debere juxta jura loci, in quo semper contractu judicium exercetur, *L. Testium, 3. ff. de Testibus, §. Testes, 6. ibi: Diligentia Judicis est explorare, qua consuetudo in ea Provincia, in qua judicat, fuerit*; in altero autem contractum regulari debere juxta jura loci, in quo celebratus est. Nam contractus subjicitur legibus illius loci, in quo verba obligatoria probata sunt; Abbas in *c. ult. & c. quod Clericus, h. t. n. 11. Gail. l. 2. observ. 123.*

303. Ab hoc tamen excipiendus est contractus dotis; quam mulier, soluto matrimonio, recipere debet in loco mariti, ubi is degit, & juxta ejus domicilii jura; non, ubi promissio facta est, vel dotale instrumentum conscriptum, ut dicitur in *L. exigere, 65. ff. de Judiciis*, ibi: *exigere dotem mulier debet illic, ubi maritus domicilium habuit; non ubi instrumentum dotale conscriptum est. Nec enim id genus contractus est, ut & eum locum spectare oporteat, in quo instrumentum dotis factum est. quàm eum, in cujus domicilium, & ipsa mulier per conditionem matrimonii erat reditura.* Quibus ultimis verbis ratio decisionis insinuat: quia per ipsum contractum dotalem mutat Uxor forum, & migrat in forum, & domicilium Mariti, idque retinet. Intellige tamen, nisi aliter conventum sit, juxta *L. Heres. & proinde, ff. eod.* Ex hoc colliges, quod si in loco domicilii Mariti, soluto matrimonio, conjunx superstes, vel dimidiam partem, vel totam dotem, aut donationem propter nuptias lucretur, id verò non obtineat in loco contractus, su-

M

per-

perstes conjunx eam lucrabitur; Bartolus in cit. L. exigere, & L. si fundus ff. de Evict.

¶ IV.

Quomodo quis sortiatur forum ratione rei sitæ?

304.

Cum frequenter contingat, quod quis extra locum sui domicilii possideat bona quædam immobilia, in alieno territorio sita, quæstio est, an ratione illorum in tali loco sortiatur forum, seu coram Judice illius loci conveniri possit, & se defendere adversus Actorem, à quo in jus coram Judice illius loci vocatus est? de hoc agitur in c. sanè, 3. h. t. ibi: *Sanè si Episcopi, inter quos causa versatur, sine diversarum Provinciarum: ille Primas det Judices, in cujus Provincia est locus, de quo contenditur; & c. fin. eod. ibi: Licet ratione delicti seu contractus, aut domicilii, sive rei, de qua contra possessorem causa movetur: quibus forum regulariter quis sortiatur; & L. 3. C. ubi in rem actio exerceri debeat, ibi: Sed, & in locis, in quibus res, propter quas contenditur, constituta sunt, jubemus in rem actionem adversus possidentem moveri.* Ex his juribus sequentem communi calculo assertionem Doctores deducunt: *quod ratione rei, de qua agitur (si ea feudalis non sit) sortiatur quis forum, & ubi ipsa existit, conveniri valeat.*

305.

Verum ad rectam intelligentiam hujus assertionis not. 1. illam esse intelligendam de casu, quo quis convenitur actione in rem, seu reali; non autem personali; constat ex dicta L. 3. ibi: *jubemus in rem actionem adversus possidentem moveri; & c. sanè, ibi: in cujus Provincia est locus.* Not. 2. dici communiter, dictam assertionem accipiendam in casu, quo res sub alieno Judice ista est immobilis; non verò, si mobilis, vel se movens; sic Layman in c. sanè n. 2. sed probabilius videtur etiam procedere in casu, quo res est mobilis, aut se movens, licet potissimum de re immobili; ita Haunoldus tom. 5. tr. 1. n. 366. Nam verba citatæ legis 3. ambobus accommodantur. Ex hoc vides, quod civis Græcensis in alio territorio v. g. Labaci habens rem aliquam immobilem, co-

ram Judice Labacenti conveniri debeat; si quis contra illum agat actione reali, concernente rem illam Labaci sitam. Nam in loco, ubi res, ob quas contenditur, sita est, in rem actio adversus possidentem moveri debet, cit. L. ult.

Dixi: de re potissimum immobili. Nam idem dici posse ratione rei mobilis colligitur ex L. quod legatum, 38. ff. de Judiciis, ubi dicitur, *legatum ibi peti actione in rem, ubi res est; & arg. L. ult. C. ubi in rem actio, qua generaliter & indistinctè dicitur, actionem in rem adversus possidentem moveri posse in locis, in quibus res, propter quas controversitur, constitutæ sunt; Barbosa in c. fin. h. t. n. 15. sed intellige, modò res illa mobilis in eo loco sit permanenter, & non transeunter solum, vel custodia solius causa; aliàs enim non censetur esse in tali loco; sic Bartolus in cit. L. ult. n. 2. Abbas in c. final. h. t. n. 43. Ex hoc colliges, quod Petrus, civis Hispalensis, qui Paulo civi Græcensi furatus est equum Viennæ, transiens Græcio, non possit à Paulo coram Judice Græcensi conveniri. Non actione personali; quia Petrus ratione personæ non est subditus Judicis Græcensis; non etiam ratione delicti; quia hoc non est commissum Græcii; non ratione rei tunc Græcii existentis, quia Græcii est solum transeunter. Si tamen Petrus coram suo competente Judice conveniri à Paulo non posset vel de fuga suspectus esset, posset cogi ad satisfandum, per pignus, vel fidejussores de stando juri, vel sistendo se judicio competenti. Si autem cautionem præstare nollet, aut non posset, sequestranda foret res, donec coram competente Judice causa cognoscatur; Abbas cit. num. 44.*

Not. 3. ut actio institui possit in loco rei sitæ, non requiri, quod Reus tunc ibi præsens sit; quia si Judex rei in suo territorio sitæ Reum cita vit, & is contumaciter absit, potest eum, qui actionem realem intentavit, mittere in possessionem eorum bonorum, quæ Reus habet in hujus Judicis territorio, c. fin. §. ult. ut lite non contestata: etiam si possessor non sit in eodem loco; quia actio realis rem, non personam sequitur; L. Actionum, 25. ff. de obligat. & action. Et quia actio mixta, seu in rem scripta non solum personam, sed etiam rem persequitur, eadem etiam intentari potest coram

306.

coram Iudice, in cuius territorio res sita est; Bartolus *in cit. l. ult.* Ex hoc sequitur 1. quòd petitio hereditatis institui possit, vel in loco heredis, secundum domicilium, vel ubi res hereditaria sita sunt, *l. unic. C. ubi de hered. agat. 2.* interdicto unde vi ad recuperandam possessionem agi posse in loco, ubi vis illata est, vel ubi possessio rei ablata est, *l. unic. C. ubi de possess. agi oport. secus est*, quando quis contra aliquem agit actione personali; tunc enim sequi debet forum *personae*, hoc est agere debet apud Iudicem, cui talis persona personaliter subjecta est; non apud Iudicem, in cuius territorio res talis personae sita est; quia actio personalis, non rem, sed personam sequitur.

307. Not. 4. Quòd, quando res Rei sita est in quo scilicet Reus non habet domicilium, Actor agens contra illum actione reali possit illum convenire, vel in loco rei sitae, vel in loco domicilii; quia quando quis potest conveniri in duobus locis, electio Actoris est: at sic est in dato casu; sic Barbosa *in c. sanè num. 2.* addit tamen Haunoldus *citatus n. 366. q. 2.* esse intelligendum, ut Actor facta semel electione (conveniendi Reum in hoc determinato loco, v. g. domicilii, vel rei sitae) non possit variare. Ceterum non desunt, ut notat Gonzalez *in dict. c. sanè, n. 9.* qui velint in actione reali, ubi de re agitur, tantum in loco rei sitae possessorem conveniendum esse. Adducunt pro sua sententia textum *in l. fin. C. ubi in rem actio*, in illis verbis: *Actor rei forum, sive in rem, sive in personam sit actio, sequitur; & l. unic. C. ubi de possessione*, ibi: *sed in locis, in quibus res constituta sunt, jubemus in rem actionem adversus possidentem moveri, & l. quod legatur, 18. ff. de iudiciis*, ibi: *si autem per in rem actionem legatum petatur, etiam ibi peti debet, ubi est.*

Contrariam tamen sententiam, videlicet rei possessorem conveniri posse, non solum ubi res existit, sed etiam in loco domicilii, saltem quando agitur processu ordinario de possessione, probabilibus suadet, *l. final. C. ubi in rem actio*, ut constabit ex seqq. & diximus n. 305. dixi processu ordinario; nam si de possessione agatur momentaneo processu, qui extraordinarius est, veluti in casu legis *si Coloni 14. C. de agricolis, lib. 1. r.* vel simili, Iudex rei ad-

Tom. II.

eundus est, eo quòd processus ille momentaneus ob id instituitur, ne partes ad arma deveniant, quòd contingere solet in ipso loco, ubi res, de cuius possessione contenditur, sita est.

Dices: in cit. legibus, pro sententia contraria, expressè dicitur: *jubemus*, ut infinuatur, quòd Imperatores ibi non simpliciter *permittant* actionem in rem moveri, ubi res constituta est; sed moveri *jubent*, quasi verbis istis necessitatem ibi agendi imponant. Verum nec ex ista observatione probatur intentum; si enim observentur leges relatae supra, clarum est, duo præcipi. 1. Actorem sequi debere Forum Rei, quacunque actione experiatur sive in rem, sive in personam, non tamen ita, ut in foro rei sitae, si Reum conveniat in illo, & experiri non possit; id quòd aperte denotatur illis particulis: *sed & in locis*; jubet ergo Imperator, ut, si Reus actione reali conveniendus est, conveniatur vel in loco communi omnium actionum, nempe *domicilii*; vel in Foro rei sitae; quò non probatur *debere* tantum in hoc determinato. Quò dicitur ex *l. quod legatur*, procedit specialiter *in re legata*, & intelligitur solum, cum petitur petitione cum effectu obligationis præstandi legatum; non quòd ab hærede in loco domicilii peti non possit; sed quòd alibi, quàm ubi res legata est, illam præstare non cogatur.

§. V.

Quibus modis extraordinariè quis for-
tiatur forum?

308. Resp. extraordinariè, ac generaliter constitui Forum coram Iudice alias non suo. 1. *ratione cause*; si enim sit Ecclesiastica, coram Iudice Ecclesiastico Actor Reum convenire debet. 1. ex *c. contingit, 8. de Arbitris*, ibi: *ad hoc generaliter prohibemus, ne super rebus spiritualibus compromittatur in Laicum; quia non decet, ut Laicus in talibus arbitretur.* Nam sicut Laicus non potest esse Iudex in causa Ecclesiastica, *c. 2. de Iudiciis, c. lator, 5.* qui filii sunt legitimi: ita nec arbiter, vel arbitrator. Quia universim indecens est, si Laici Ecclesiastica negotia tractent. Excipitur tamen plenitudo Papalis potestatis, per quam Ecclesiastica causa Laicis committi potest. gloss. hinc, *V. Spiritualibus;*

M 2

bus: in causis tamen Ecclesiarum, & Clericorum temporalibus, compromitti posse in Laicos, constat ex *c. 4. de Arbitris*. Ex hoc fit, quòd nec Laicus Laicum super re civili coram Judice Ecclesiastico convenire possit, nisi in defectu justitiæ secularis, aut consuetudo id exposcat per *c. Licet, 10. h. t. & causa Feudalis*, etiam inter Clericum, & Laicum à directo Domino Feudi cognoscenda sit; nec hoc invito Vasallus subicere se possit alieno Judici prorogando ejus jurisdictionem *c. Ex transmissa. 6. eod.* id quod etiam habetur *c. Verum 7. h. t.*

Secundò, *ratione privilegii*; nam quando quis eximitur à jurisdictione Judicis, de cujus foro exteròquin quis esset ratione domicilii, delicti, contractus, vel rei sitæ, aut causæ, non est de Foro talis Judicis exteròquin ex dictis titulis Ordinarii. Hinc Clerici regulariter non possunt conveniri, nisi coram Judice Ecclesiastico, *c. 1. & 2. de Foro compet.* sic miles ex privilegio militiæ domicilium habet in loco, ubi militat, *L. Municeps, ff. ad Municipalem*; sic Uxor eximitur à jurisdictione sui Judicis, & sequitur forum, ac domicilium sui Viri, *L. fin. §. item rescripserunt mulierem, ff. eod.* & vidua retinet domicilium sui mariti, donec aliis nuptiis se jungat, *L. Filius, 22. §. 1. eod.*

309. Tertiò, sortitur quis Forum extraordinariè *ratione assumptionis in aliquod Collegium, vel Universitatem*; sic enim subicitur cognitioni ejus, qui tali Collegio, vel Universitati præest; *L. ult. C. de Jurisdic. omnium Judic.* dummodo Collegium autoritate Principis sit constitutum, vel confirmatum, *L. 3. ff. de Colleg.* Sic Studiosi, etsi in loco studii domicilium non habeant, coram suo Rectore forum sortiuntur, authent. *habita, C. ne filius pro Patre, de qua V. dicta l. 5. in tit. de Magistr.* Unde vehementer mirandum est, quosdam Magistratus, & Tribunalia (in quibus plerique sunt, qui literarum beneficio evaserunt, ut sint, qui sunt, delato munere, consequenter debito, illud rectè administrandi) adeo infecta esse Academicis, ut primi sint, qui eorum privilegia à summis Principibus *Scholaribus* liberalissimè indulta toto propemodum orbe, tam studiosè velint oppressa, prorogando jurisdictionem vi, non jure, penitus adempto illis à Sapientissimis Principibus, qui omni ævo

Literatos non modo æstimarunt, sed *coluerunt*.

310. Quartò, sortitur quis forum extraordinariè *ratione continentie, seu affinitatis, & connexionis*; pro quo not. *continentiam causarum* nihil aliud esse, quàm rei controversæ connexionem colligatione perpetuâ, ut uno eodémque judicio negotium terminari possit. Ex hoc inferunt, quando causa in judicium deducitur, quæ cum alia connexionem habet, ut aut hæc sine illa, vel vicissim terminari non possit, tractandam coram uno, eodémque Judice; per *L. Nulli, 10. C. de Judiciis*, ibi: *nulli prorsus audientia præbeatur, qui causæ continentiam dividit, & ex beneficii prerogativa id, quod in uno eodémque judicio poterat terminari, apud diversos Judices voluerit ventilare*; & insinuat in *c. causa 9. de restitut. in integrum*, ubi dicitur, quòd causa restitutionis in integrum, coram Judicibus ordinariis, administrationem habentibus, vel delegatis ab eis, tractari poterit, & finiri, si hoc ipsis delegatis specialiter demandatum fuerit, si in commisso eis negotio contingat incidere hujusmodi quæstionem: quod confirmatur etiam ex immediatè sequentibus verbis, ibi: *delegati verò ab Ordinariis, qui administrationem non habent, sed tantummodo facultatem judicandi, seu arbitri, de hac causa cognoscere nequeunt, nisi coram eis mota fuerit incidenter*.

Verùm hoc universaliter non procedit; fallit enim primò in casu, quo exemptus cum non exempto delinquit; v. g. Clericus cum Laico; tali enim casu Clericus judicari non potest à Judice Laico, ut dictum est à *n. 66.* Deinde, ut notat Haunold. *tom. 5. de Jure & Just. tr. 1. n. 369.* in praxi non observatur, quod quidam volunt, petitorium absolvendum esse, ubi actum est in possessorio; hinc negandum est, quòd, ubi Clericus contra Laicum agit in possessorio, hic contra illum coram eodem Judice agere possit petitorio, propter exemptionem à foro Laicorum. Fallit 3. quando apud Judicem secularem principaliter agitur de causa temporali (v. g. hæreditatis) quæ resolvi non potest, nisi prius decidatur quæstio de legitimis natalibus petentis hæreditatem, dependens à quæstione juris de valore matrimonii parentum ejus; nam hæc quæstio prius resolvenda

venda est per Judicem Ecclesiasticum Laico interim supersedente à processu in causa principali.

311. Ceterum ex hoc, quòd negetur Clericum conveniri posse coram Judice Laico in causa etiam connexa (hoc enim etiam jure civili prohibitum est, ut constat ex dictis, & expressè habetur in Authent. *Statuimus*, de Episcopis, & Clericis, ibi: *statuimus, ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali questione, vel civili, trahere ad Judicium seculare presumat, contra constitutiones Imperiales, & canonicas sanctiones. Quòd, si Actor fecerit, à suo jure cadat: judicatum non teneat: & Judex ex tunc judicandi potestate privetur*) non sequitur à nobis dici, Judicem secularem non posse ullo modo esse Judicem inter Clericum, & Laicum, sic, ut Laicus à Clerico conveniri non possit; contrarium enim apertè constat ex verbis sequentibus dictæ Authent. ibi: *Sancimus etiam, ut si quis Clericis, vel Ecclesiasticis personis justitiam denegare presumpserit, tertio requisitus jurisdictionem suam amittat.* Et hæc Clericorum exemptio (ne liceat, etiam Regi, vel alicui seculari personæ judicare Clericos cujuscunque Ordinis, sive in furto, sive in homicidio, vel perjurio, seu quibuscunque fuerint criminibus deprehensi, ut dicitur *c. 10. de Judiciis*) ad eò procedit, ut neque tunc liceat, quando in foro Ecclesiastico justitia à Prælati negligitur; sic Innoc. III. *c. 17. eod.* ibi: *ne pro defectu justitiæ Clerici trahantur à Laicis ad judicium seculare, quod omnino fieri prohibemus.*

312. Quintò potest quis extraordinariè sorti forum *ratione presentie, dum est Romæ*, ut tunc in Romana Curia conveniri possit, ut constat ex *c. Licet, 20. h. t.* Cùm enim quidam Episcopus Romæ ut peregrinus versaretur, aliquis ei litem movit; sed ille exceptionem fori declinatoriam opposuit, eò quòd nec ratione delicti, nec contractus, neque rei litigiosæ *apud Sedem Apostolicam* Forum sortiretur; sed hanc exceptionem rejecit Gregorius IX. quia licet ordinariè his tantum de causis aliquis forum sortiatur, tamen speciale hoc habet Ecclesia Romana (cùm sit omnium Ecclesiarum magistra) quòd in ea reperti compelli possint ad respondendum, nisi ob necessariam causam eò advenissent; tum e-

nim jus habent, litem domum suam revocandi. Ex hac enim decisione deducitur, quòd Peregrinus seu Advena Romæ conveniri possit (dum ibi est) ex quacunque causa, vel delicto alibi commissio, ut constat ex casu; quòd Roma communis omnium patria censeatur, ut dicitur *L. Romæ 33. ff. ad Municipalem*; Farinacius in praxi *q. 7. n. 10.* quod tamen videtur accipiendum de causis tantum Ecclesiasticis; & si eò quis veniat ex causa non necessaria. Nam si quis eò accesserit ex causa necessaria, vel quasi necessaria (v. g. in causa Ecclesiæ suæ, vel ut Legatus, vel causâ testimonii ferendi, aut appellaturus contra sententiam) tali casu petere potest, ut causa domum revocetur, seu Judicem domicilii; quia ibi melius instructus sit, & hæc facultas concedi solet, nisi periculum in mora sit, ut in causa electionis Prælati, quæ diu differenda non est; ita Layman in *c. licet, cit. n. 21. & ceterum.*

§. VI.

An quis extraordinariè sortiatur forum prorogatione jurisdictionis?

Posse quem sortiri forum per prorogationem jurisdictionis in alium Judicem, communis tenet; pro quo not. quòd *prorogatio jurisdictionis sit extensio jurisdictionis ordinariæ ad causam, seu personam (aliàs sub ea non comprehensam) ex consensu partium.* Unde ut fiat vera prorogatio in materia jurisdictionis, duo postulantur, alterum, quòd is, in quo illa facienda est ex partium consensu, jurisdictionem habeat non solum habitu, sed etiam actu, seu quoad exercitium: alterum, quòd jurisdictio proroganda sit ordinaria, vel ordinariæ saltem æquiparetur; sic Benedictus Pereyra in *Elucidario n. 1826. & Prorogatio*; hanc tamen definitionem non omnes admittunt, volentes rectius dici, prorogationem esse extensionem jurisdictionis ad personas, causas, & locum, in quas, & in quo aliàs non competit de consensu earundem partium facta, idque propter dicenda *n. seq.*

Ceterum communis docet, quòd licet privatæ personæ non possint jurisdictionem dare, possint tamen expressè, vel tacitè prorogare, seu supra se ipsos, vel quoad

personam, vel causam extendere, nisi aliqua lege prohibeantur; primùm habetur *L. Privatorum, 3. c. de jurisdic. ibi: privatorum, consensus judicem non facit eum, qui nullo præst. iudicio: nec, quod is statuit, rei iudicata continet auctoritatem.* Secundùm autem constabit ex casibus diversis in seqq. ubi ostendemus jurisdictionem de jure omninò rectè prorogari. Ceterùm in definitione prima ex Pereyra duo quidam exponunt; primùm est, quòd prorogatio dicatur extensio jurisdictionis *ordinarie*; secundùm, quòd omittat, eum etiam fieri posse *in locum*; ratio primi est, quòd iudicium etiam *delegata*, fieri possit saltem in duobus casibus extraordinariis; primò enim juxta *Gloss. in L. 1. ff. de iudiciis, V. qui tribunali*, iudicium delegata ad Universitatem causarum prorogari potest. 2. iudicium delegati extendi potest ad personas, si tertia persona, cujus interest, proponat jus suum coram delegato, ut tradit Layman *in c. P. & G. 40. de Offic. Jud. deleg.* de jurisdictionis prorogatione etiam *quoad locum*, seu territorium affirmat Haunold. *tom. 5. tr. 1. n. 52. & deinde.*

214.

Ceterùm communis tenet, quòd iudicium delegata non possit prorogari de persona in personam; ratio est, quia iudicium delegata, cum potius ad delegantem pertineat, quàm ad delegatum, suapte naturâ strictæ interpretationis est, & ultra terminos commissionis non extendenda; & constat ex *c. P. & G. cit.* Cum enim Publius, & Gaspar Mercatores, literas Apostolicas contra Episcopum Londonensem impetrâssent ad Abbatem S. Genovefæ, in causa mutui, quòd suo loco, & tempore ipsis per solutum non fuerit; & pendente hoc iudicio ad eundem Abbatem, Apostolicum delegatum, Innocentius Laicus accessisset, qui, & ipse mercatori pecuniam debebat, asserens coram Abbate nisi debitum intra terminum constitutum solveret, ut excommunicationis, & interdicti sententiam in ipsum, & terram ejus promulgaret: re intellecta, respondit Gregorius IX. censuras ea occasione latas ab Abbate in dictum Innocentium irritas esse; *cum enim is Abbatis jurisdictioni subditus non esset, non potuit ejus jurisdictionem prorogare: quia delegata iudicium de persona in perso-*

nam non extenditur: tametsi Judex ille delegatus, videlicet Abbas, ordinariam etiam jurisdictionem aliquam habeat.

Ut autem prorogatio jurisdictionis rectè fiat, requiritur. 1. quòd Judex *in quem*, antecedenter habeat aliquam jurisdictionem; nam *extensio jurisdictionis* supponit in eo, cujus iudicium extenditur, aliquam jurisdictionem; aliàs non *extenderetur*, sed daretur simpliciter à consensu litigantium; constat idem ex *L. 1. ff. de iudiciis*, ibi: *si se subjiciant aliqui iudicium, & consentiant, inter consentientes cujusvis iudicis, qui tribunali præst, vel aliam jurisdictionem habet, est iudicium.*

Ex hac ipsa lege deducitur, requiri 2. quòd prorogatio, seu extensio jurisdictionis fieri debeat *de consensu partium litigantium*, ibi: *& consentiant*; quod idem etiam colligitur ex definitione *prorogationis* in *n. 313*, quamvis sufficiat consensus tacitus v.g. per litem coram eo contestatam, ut habetur *L. 4. C. de iudic. ibi: nemo post litem contestatam ordinaria sedis declinet examen*; quod tamen accipe, ut non procedat, si partes *per errorem* existimârunt Judicem talem *esse competentem*; nam errantis non est consensus; id, quod etiam habetur *L. 2. ff. de iudic. ibi: consensisse autem videntur, qui sciunt, se non esse subjectas jurisdictioni ejus, & in eam consentiunt.* Ceterùm, *si putent, ejus jurisdictionem esse, non erit ejus iudicium: error enim litigatorum non habet consensum.* Unde colliges in dato casu non sufficere consensum, ex errore, quando putatur competens, cum non sit; sed requiri, quòd consentiant, *scientes, se non esse subjectas jurisdictioni ejus*; quod confirmatur etiam ex *L. 1. C. de iudic. ubi partes jubentur acquiescere rei iudicatæ per eum, qui aliàs non erat competens in ea causa, quia vos, incongruum eum esse vobis iudicem scientes, tamen audientiam ejus elegistis.*

Requiritur 3. Quòd in subjiciente se Judici alieno sit *potestas* se subjiciendi, quod notatur illis particulis in definitione, *nisi aliqua lege prohibeantur*; & ex hoc capite Clerici non possunt Judici seculari prorogare jurisdictionem in his, in quibus ipsis ob publicum Ecclesiæ favorem exemptio constituta est; *c. si diligenti, 12. de fo-*

316

de fo-

de foro competente. ubi Innocentius III. Pisano Archiepiscopo scribens, ejus opinionem reprehendit (ex qua, immemor constitutionis, quâ cavetur, pacto privatorum juri publico minimè derogari, respondit: quòd licitum sit Clerico, saltem in temporalibus renuntiare privilegio fori, præsertim adversus consentientem, & juramentum super hoc interpositum tenere) & respondet, *ius hoc in Milevitano, & Carthaginensi Concilio fuisse promulgatum, ne Clerici Clericos, relicto suo Episcopo, ad judicia publica protrahant, aliquin causam perdant, & à Communione habeantur extranei.* Quin etiam, ut Episcopi quoque, & quicunque Clerici, qui in hoc deliquerint, etsi pro eis sit lata sententia, locum suum perdant in actione criminali; in civili verò causam, si locum maluerint retinere. Manifestum igitur est, quòd nec invitè, nec voluntarij pacisci possunt, de seculari judicio subeundo; cum privilegium fori non sit personale, cui renuntiare valeat, sed toti Collegio Ecclesiastico publicè indultum; neque juramentum licitè servari potest, quòd contra canones illicitis pacti-
onibus informatur. Sic Innocentius.

317. Pro intelligentia not. per *ius publicum* hic non intelligi solùm *ius publicè latum*, sed *pro publico*, nimirum omnibus in communi. Tripliciter enim *ius publicum* accipi potest. 1. quando statuitur aliquid principaliter in merum favorem privatorum singillatim; & tali juri potest renuntiare; sic mulieribus concessum est, ut non obligentur fidejussione ex S. C. Velleiano, cui tamen juri renuntiare possunt, L. ult. §. ult. ff. ad Velleian. Secundò, ubi statuitur aliquid in favorem alicujus Communitatis, aut Collegij, aut hominum certæ conditionis pro publica utilitate ipsorum, & in odium aliorum, qui ipsis sæpè, aut communiter sunt iniqui, aut infesti, tali privilegio nemo potest renuntiare; quale est Clericale fori privilegium, introductum non solùm in favorem Clericorum, verùm etiam odium Laicorum, qui illis communiter sunt iniqui. Simile est privilegium Canonis, *si quis suadente*, 17. q. 4. tertio, quando principaliter vergit in favorem publicum Communitatis, Collegij, aut hominum certæ conditionis, uti dictum est, & consequenter solùm in favorem priva-

torum singillatim, qui videtur esse casus proprius h. c. quibus positus:

Quando dicitur, quòd *pactis privatorum juri publico* non derogetur, *ius publicum* accipi debet secundo, & tertio modo, quo illud exposuimus num. præced. Nam ut renuntiatio alicujus juris valida sit, debet ea versari circa jus, quod est in ipso renuntiante sine respectu ad totum Collegium, vel Communitatem, Ordinem, aut Statum; sed *ius publicum*, secundo, & tertio modo acceptum, non est in renuntiante sine tali respectu; cum directè spectet bonum, honorem, vel securitatem totius corporis; ergo; id, quod verum est, licet renuntiatio foret *jurata*, ut patet ex *dict. c. si diligenti*, ubi tale juramentum dicitur *temerè interpositum. Ma. est ex L. id, quod nostrum est, ff. de Reg. juris; & c. ab eo, de elect. in 6. Min: ex definitione juris publici, in n. præced.*

Not. præterea per *privatos* in eo pronuntiato L. *Jurisperitorum. & paciscar, ff. de pactis; & c. Ad Apostolicam, de Regular.* (quòd *pactis privatorum juri publico* non derogetur (intelligi per *sonas singulares*, in quantum tales sunt; sine respectu ad Statum, Communitatem, Ordinem, vel Collegium; quamvis aliàs etiam dicantur *privati*, qui non sunt in dignitate, ut colligitur ex *c. qui contra*, 24. q. 1. Et idè, nec Prælati Ecclesiæ, quantumvis dignitatem habeat, privilegio fori, concessio *statui Clericorum*, licitè, aut validè renuntiat; quia hoc privilegium est juris publici, & ipse in Ordine ad hoc habet se, ut *privatus*, hoc est, ut persona *singularis*; cum in ipso non sit sine respectu ad totum statum.

Dices: in jure civili privilegium fori, concessum Clericis, est renunciabile, consequenter est personale; sic enim deciditur L. *si quis in conscribendo, c. de Episc. & Cleric. & L. penult. C. de pactis.* Deinde canon (qui in dicto c. 12. tribuitur Concilio Milevitano) habetur ex Concil. Tolet. & refertur in 11. q. 2. c. *inoluta*; sed in hoc solùm prohibetur, ne Clericus Clericum, relicto suo Pontifice, *trahat* ad judicia publica; quod videtur non aliud velle, quàm *ne invitum* provocet ad aliud Tribunal; ergo poterit *volentem*; at sic est privilegium renunciabile, consequenter personale.

Verùm contrarium constat ex *c. si dili-*
gen-

genti, ibi: *cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiari valeat; sed potius toti Collegio Ecclesiastico sit publicè indulgentum.* Nec obstant in contrarium allata; nam in his, quæ pertinent ad Clericos, quæ tales, & causas Ecclesiasticas, non jus civile, sed *Ecclesiasticum* attendi debet; præsertim cum exceptio Clericorum à foro Laico valdè probabiliter, & multò probabilius oppositò, sit juris divini, ut exposuimus *lib. 1. tit. 2.* & ideo etiam in Concilio Carthagin. (cujus canon habetur *11. q. 1. c. Placet, 42.*) expressè statuitur, ut Clerici *neque volentes* coram Judice seculari se purgare, aut litigare, aut respondere possint; quia videlicet hoc redundat in opprobrium Clericalis Ordinis, ut iudicibus inferioris Ordinis (quales respectu Clericorum universim sunt Laici) se subjiciant, & per eorum tribunalia trahantur, aut vagentur; & ideo Pontifex in *c. si diligenti*, utrumquè Concilium attulit, ut constaret, id fieri non posse non tantum ab invitis, sed etiam volentibus.

320.

Ex eodem defectu potestatis, se subjiciendi Judici aliàs non suo, sit 2. quòd Clericus ne quidem *cum consensu Episcopi* possit se subjicere Judici seculari in causa civili, vel criminali; vel merè Spirituali, aut etiam temporali; jurisdictionem ejus prorogando; sic gloss. in *c. significasti, 18. h. t.* Nam id fieri non potest, quin renuntiet privilegio fori; at hoc non potest Clericus per *c. si diligenti, 12. eod.* & constat à *n. 3. 16.* si autem dicas: Episcopus potest pecuniarias Clericorum causas delegare Laico, ut tenet praxis; ergo Clericus saltem cum consensu Episcopi prorogare jurisdictionem Laico quoad ejusmodi causas; Resp. N. conseq. discrimen est, quòd delegatus non agat jurisdictione suâ, sed delegantis; Judex autem prorogatus, jurisdictione suâ; non prorogantis; hujus autem capax non est Judex Laicus ex *n. 66.* Deinde, ut jurisdictio alicujus Judicis prorogetur, requiritur, quòd in eo præexistat jurisdictio similis, seu ejusdem generis, consequenter sufficientem, ut cognoscere, ac terminare possit ejusmodi causas, quæ inter litigantes versantur; sic Bartolus in *L. 1. ff. de Judic. n. 9.* Abbas in *c. 12. h. t. n. 14.* & complures alii, ut notat Gonzalez in *c. significasti, 18. h. t. n. 5.* sed in Judice Laico non præexistit ulla jurisdictio in cau-

fas Clericorum etiam civiles, & merè temporales ex *n. 66.* ergo. Hinc rectè notat Gonzalez cit. quòd, etsi jurisdictionem Judex obtineat, causa autem, ad quam prorogatur, non sit ejusdem naturæ, ac est jurisdictionis, prorogatio nulla sit, ut si de crimine quæstio sit, & causa ad eum deferatur, qui animadversionem non habet; vel si Judex, qui de criminibus cognoscit, ad eatur super causa civili, vel e contra, *L. solemus 61. §. latrunculator, ff. de judic.*

Accedit, quòd inter delegationem, & prorogationem plures aliæ sint differentie. Nam 1. prorogatio non tribuit jurisdictionem eâ carenti, ut colligitur ex dicto *c. significasti*, ibi: *eum qui jurisdictioni præesse dignoscitur*; 2. prorogatio fieri non potest, nisi utriusquè partis consensu, ex *c. 1. h. t.* ibi: Clericus adversus Clericum negotium habens, non deferat Episcopum proprium, sed prius apud ipsum actio ventilatur; vel certè, *consilio ejusdem*, apud alios, quos utraqùè pars voluerit, iudicium obtinebunt; 3. prorogatio à Judice prorogato semel acceptata facit, ut prorogantes non possint amplius talem Judicem recusare, nisi nova causa superveniat; sic enim Judici prorogato est jus acquisitum, ut notat Abbas in dicto *c. significasti, n. 3. 4.* prorogatio fit à partibus litigantibus, ut habetur ex *cit. c. 1. & dict. L. 1. C. de Jurisdic. miniam supra*:

At verò delegatio tribuit. 1. jurisdictionem eâ carenti, per *c. Præterea, 5. de Offic. Jud. deleg.* ubi Pontifex loquens de delegato, tibi, inquit, *authoritate presentium innotescat*, quòd, postquam ei causa, licet simpliciter delegatur, *satis potest autoritate nostrâ partes compellere, & etiam contumaces severitate Ecclesiasticâ coercere*; 2. delegatio non requirit partium consensum; cum id possit Judex Ordinarius etiam invitis partibus, si delegatus non sit suspectus, ut dicitur *c. super, 27. de Offic. Jud. deleg. 2. eum verò*, ibi: *eum verò, quem delegatus à nobis deputaverit auditorem, neutra partium poterit recusare, nisi coram eo justam reculationis causam ostendat*; id quòd etiam colligitur ex *§. fin. 3.* delegatio facta sine consensu partium non facit, quòd partes non possint ex justa causa recusare delegatum, ex dicto *c. super, 2. fin.* ibi: ubi Pontifex recipit appellationem ad se factam à iudicibus delegatis, *qui de partium*

321.

ium assensu nec dati sunt, nec recepti, si contra eos justam recusationis causam ostenderit; 4. Delegatio fit non à partibus, sed à Judice ordinatio, ut constat ex L. 1. & 3. ff. de *jurisdic.* igitur à delegatione ad prorogationem non rectè arguitur; sic Fagnanus in c. *significasti*, h. t. à n. 18.

322. Ex eodem defectu fit. 3. quòd Clericus nec Judicis Ecclesiastici jurisdictionem possit prorogare, *sine consensu sui Ordinarij*, ut habetur in c. *significasti* 18. h. t. cum enim Abbas Trecentis Gregorio IX. proposuisset, quòd P. Clericus, ad petitionem C. Mercatoris, se Abbatis jurisdictioni subjecerit, &c. Resp. Pontifex, quòd, licet privatorum consensus eum, qui jurisdictioni præesse dignoscitur, suum possit judicem constituere, *Clerici tamen in judicem non suum (nisi forte sit persona Ecclesiastica, & Episcopi Diocesani voluntas accedat) consentire non possunt*; & ratio est, quia quilibet Episcopus habet privatam jurisdictionem in propriis subditos, comparatione aliorum Episcoporum, c. *nullus*, de Parochijs, c. *nullus*, c. *Primus*, 9. q. 2. confunderetur enim jurisdictione Ecclesiastica, si invito proprio Episcopo liceret cuilibet Clerico alienam jurisdictionem prorogare.

323. Dices. 1. prorogatio jurisdictionis, est actus partium, quo intendunt in Judicem, sed non solum, consentire, & per quem nihil adimitur Judici ordinario, aliàs competentis, L. 2. §. 1. ff. de *judic.* ubi Barbosa & Amotinus: ergo ut Clerici alterius Judicis jurisdictionem prorogent, & in eum consentiant, non desideratur Episcopi consensus, cui ex prorogatione nullum præjudicium irrogatur: 2. taciti, & expressi idem judicium est, L. *item quia*, ff. de *pactis*, L. *ult. ff. de legat.* 2. & tradit Barbosa *axiomat.* 218. n. 1. sed Clerici sine Episcopi proprii licentia possunt tacite prorogare alterius Judicis jurisdictionem, ut promittendo solvere certo loco, ubi coram Judice ipsius loci possunt conveniri; vel contrahendo in aliena Diocesi; quo casu, ratione contractus, Diocesani Episcopi sortiuntur forum, c. *fin. h. t. c. Romana*, §. *contrahentes*, eod. tit. in 6. igitur & expressè alieni Judicis possunt prorogare jurisdictionem, præcipuè, cum ille possit jurisdictionem prorogare tacite, qui & expressè; 3. omnes Magistratus, extra fines territorij proprii, pro privatis habentur, L. 3. ff. de *Offic. Præs.* L. *ult. ff. de jurisdic.* L. *ult. ff. de Offic. Præs.*
Tom. II.

sect. urb. ac privato tribici jurisdictione consensu litigatorum non valet. ff. de *judic.* L. *privatorum*, 3. C. de *jurisd.* igitur nulla potest dari prorogatio Judicis alieni.

Resp. ad 1. antecedens verum esse de jure civili; non autem Canonico, ut constat ex textu in n. præced. Quare N. consequ. Unde licet notum sit, in prorogatione non aliorum, quam ipsorum litigatorum desiderari consensum, ac ne ejus quidem, cujus prorogatur jurisdictione, nec denique Judicis Ordinarij, & competentis, utpote cui nihil hic adimitur, L. 2. §. 1. ff. de *judic.* Vultejus in L. 1. C. de *jurisd.* n. 66. si attendamus jus seculare; secus tamen est de jure Ecclesiastico propter rationem in n. præced. Ad 2. Resp. casum antecedentis non probare, quòd tales *jurisdictionem tunc prorogent*, quando sub Judice alieni territorij contrahunt; vel soluturos promittunt; sed tantum, quòd ratione illius facti *sortiantur forum*; quòd ultro concedimus ex dict. supra. Quare dato antecedente secundum factam explicationem; N. consequ. Ad 3. Resp. Magistratus extra fines proprii territorij haberi pro privatis solum *respective*, nimirum ad *alienum* territorium; non pro privatis *absolute*, relatè ad *omne* territorium; istis autem potest, non illis prorogari jurisdictione; nam *privati absolute* hic sunt, qui carent omni dignitate, consequenter jurisdictione *privati* autem solum *respective*, secus.

Ex eodem defectu fit. 4. quòd Clerici; & Religiosi, exempti à jurisdictione Ordinarij loci, & immediatè subjecti Papæ, non possint se subicere Episcopo Diocesis, in qua pro tempore versantur sine consensu Papæ, in ijs, quæ pertinent ad forum, seu jurisdictionem *contentiosam*. Ratio est, quia id fieri non potest, nisi renuntient privilegio exemptionis (nam talis subjectio foret tacita renuntiatio ex dictis) sed illi privilegio renuntiate non possunt, ex *num.* 316. tum quia illud privilegium est jus publicum; tum quia per hoc est Papæ jus quæsitum, aut tales præjudicare non possunt etiam cum consensu sui Prælati, ex c. *cum venissent*, 2. de *in integrum restit.* ubi dicitur *ad sedem Apostolicam pertinere*; & c. *cum tempore* 5. h. t. *ibi cum etsi sponte volueris, de jure tamen nequiveris sine licentia Romani Pontificis renuntiare, & indulgentiis libertatis, qua Monasterium illud judicant, ad jus &*

324

N

pre=

proprietatem Romani Pontificis pertinere.

325. Dixi: *quæ pertinent ad jurisdictionem contentiosam*, nam in foro Sacramentalis pœnitentiæ, & in actibus voluntariè jurisdictionis, videlicet ad accipiendam Absolutionem à peccatis, & censuris, ad petendam dispensationem in votis, juramentis, irregularitatibus, legibus jejuniorum, &c. negant complures, quòd Exempti possint cedere privilegio exemptionis, & se subicere Episcopo Diocesano, si Prælati Ordinis talem potestatem non habeat, & cum licentia ejusdem; sic Abbas *in dict. c. 18. n. 11.* Rodrig. *tom. 1. qq. regul. q. 36. n. 5.* quibus favet Suarez *tom. 2. de Relig. l. 6. de Votis, c. 11. n. 7.* ex duplici capite; primò quia nullus Clericus, vel Religiosus potest jurisdictionem Judicis non sui prorogare. 1. ex n. 322. deinde ex n. 320. quia in Ordinario non præexistit ulla jurisdicção in exemptos, nisi in casibus expressis; at Summus Pontifex respectu omnium exemptorum est verè ipsorum Ordinarius, ac Diocesanus; Secundo, licet Archiepiscopus habeat majorem jurisdictionem relatè ad subditos sui Suffraganei (est enim Judex ordinarius totius suæ Provinciæ) quam Episcopus loci, relatè ad exemptos; illi tamen nihilominus non possunt consentire in Archiepiscopum sine licentia proprii Episcopi; ergo similiter nec exempti consentire poterunt in alium sine licentia sui Diocesani qui relatè ad illos solum est summus Pontifex.

Contrarium tamen in hac quæstione probabile censet Sanchez *l. 4. moral. c. 39. n. 32.* & Layman. *de jurisdicção. Ordin. conclus. 35.* Sylvester in Summa V. *Absolutio, §. n. 2.* Ratio ipsorum est (quæ respondent ad argumentum contrarium) quia licet verum sit, quòd nullus Clericus, vel Religiosus possit prorogare jurisdictionem Judicis non sui, sine consensu proprii Diocesani saltem tacito, & benignè præsumptò; secus tamen est supposità ejusmodi præsumptione: at verò, quia talia exemptionis privilegia per se, ac directè, & principaliter tendunt, & concessa sunt in favorem Ordinum; non est æquum, nec conforme intentioni SS. Pontificum, ut ea in dispendium eorundem cedant, contra Reg. juris 61. in 6. id autem fieret, si privilegium exemptionis impediret hanc

subjectionem erga Episcopum Diocesano: quia tunc exempti deterioris essent conditionis, quàm alii non exempti ejusdem Diocesis Clerici, & Religiosi, qui ab Episcopo, secundum ejus facultates, absolvi possunt, & cum eis dispensari potest; ergo mens & voluntas tacita & præsumpta, tum ipsius Religionis, tum etiam Summi Pontificis est, quæ etiam per diversa privilegia Mendicantibus concessa est expressa, teste Sanchez *loc. cit.* quòd non obstante exemptionis privilegio, possint se exempti, in actibus jurisdictionis voluntariæ, subicere, cum consensu sui Superioris seu Prælati, Episcopo Diocesano, qui scilicet spectato jure communi, & secluso privilegio exemptionis, eorum Ordinarius esset: ac proinde non tam Episcopo, seu Ordinario alieno, quàm proprio se *hoc casu* subicere censendi sunt: facilè enim res revertitur ad primordiam suam naturam; ita Pirhing *b. t. n. 197.*

Præter dicta not. 1. aliud dicendum est de Laicis; hi enim possunt jurisdictionem Judicis alieni prorogare, ut habetur L. 1. & 2. ff. de Judic. L. si per errorem, 15. L. si convenerit, 18. ff. de Jurisdicção. Advertendum autem, quòd hæc prorogatio jurisdictionis, aut fiat de persona ad personam, de re ad rem, sive de tempore ad tempus; aut de loco ad locum: ex quibus quatuor prorogationis modis duo priores certo jure nituntur, L. est receptum, 14. & sequenti, L. si convenerit, 18. ff. de Jurisdicção. L. 1. & 2. ff. de Judic. L. 1. & 3. C. de Jurisdicção. L. inter 28. ff. ad municip. Circa duos verò posteriores modos, videlicet de loco ad locum, & de tempore ad tempus, non absque ratione dubitant interpretes.

327. Possè prorogari jurisdictionem de loco in locum, docuerunt communiter Doctores in L. ult. ubi Zasius, ff. de Justitia & jure. Sed hanc sententiam alienam esse à ratione juris, docuerunt in L. 2. ff. de Judic. Bartolus in princip. Baldus, n. 7. Salicetus in L. 1. C. de Jurisdicção. n. 5. posse de tempore ad tempus, affirmant iidem, qui de loco, ex L. 2. §. 2. ff. de Judic. Et de quare, 74. §. 1. ff. de re Judic. Sed contrariam sententiam, imò hanc prorogationem à Juris Consultis incognitam fuisse, docent Osualdus lib. 17. Donellus, c. 10. tit. P. Vinus lib. 5. select. c. 4. Nec contrariæ senten-

sententiæ favet textus in L. 2. §. 2. ff. de judic. nam in eo nullo modo agitur de jurisdictione proroganda, sed tantum loquitur Ulpianus de prorogando tempore, intra quod Judex datus, (qui nudam tantum notionem, non jurisdictionem habet, L. 5. ff. de re judic.) justus est litem aliquam sibi commissam dirimere; hoc enim tempus cum solo partium favore intelligatur adjectum, etiam earundem expresso consensu prorogari posse, rationis est. Nec etiam facit pro contraria sententia textus in dict. L. de qua re; nam in ea tantum asseritur, Judicem, cui usque ad certam summam judicare jus est, etiam de re majori judicare posse, si inter litigatores conveniat.

Aliqui distinguunt, & observant, interdum specialem jurisdictionem attribui favore ipsius Magistratus, nonnunquam subditorum, nonnunquam tam Magistratus, quam subditorum gratia. Favore Magistratus attribuitur jurisdicatio, quando ejus auctoritas primò, & principaliter inspicitur & contemplatur; quo posito censent, si talis jurisdicatio Judici proprio data sit principaliter in favorem subditorum, de horum consensu prorogari posse jurisdictionem alieni Judicis etiam de loco in locum; cujus exemplum desumunt ex Authentica, *habita*, C. ne filius pro patre, in qua speciale forum Scholasticis attribuitur pro speciali favore, *quo digni sunt*, ut verba textus denotant. Igitur è converso cum in attributione hujus fori inspecta non sit nisi secundario, & minus principaliter auctoritas Magistratus consequens est, & concors omnium Doctorum sententia, Scholasticos propria, privataque voluntate alieni Magistratus jurisdictionem prorogare. Sic Gonzalez in c. *Significasti*, 18. h. t. n. 9.

328. Not. 2. exemplum prorogationis *de persona in personam* haberi in casu, quo Judicis, qui limitatam jurisdictionem habet in una Civitate, vel Territorio, subditi alieni mutuo consensu se subjiciunt ipsi, ut causa eorum cognoscatur per illum, cui alias, quoad suas personas non sunt subjecti: prorogationis *rei ad rem*, si Judici habenti limitatam jurisdictionem, ut non possit cognoscere de summa excedente centum aureos, partes litigantes super majore summa, se ei mutuo consensu subjiciunt, ut etiam possit cognoscere de illa majore sum-

Tom. II.

ma: prorogationis *de loco in locum*, quando de uno loco territorij ad alium ejusdem territorij, cum consensu partium, transfertur forum, seu judicium: prorogationis *de tempore ad tempus*, quando causa intra certum tempus terminanda, cum consensu partium, & Judicis prorogatur, ut etiam post illud cognosci, & definiri possit; ubi tamen nota, si partes prorogare velint jurisdictionem Judicis de loco in locum alterius jurisdictionis, seu territorij, requiri consensum Judicis illius loci, juxta Marantam *de ordin. judic. p. 4. dif. 12. n. 3.*

Not. 3. non censeretur prorogatum alieni Judicis jurisdictionem ex hoc, *quod quis coram eo citante compareat*, vel etiam copiam libelli sibi edi petat, L. *non videtur*, 33. ff. de Judic. vel det satisfactionem de sistendo se judicio; citatus enim tenetur comparere coram Judice; ut exemptionem fori declinatoriam opponat, nisi notorium sit, Judicem esse incompetentem, Layman *cit. conclus. 31.*

Not. 4. ad prorogationem jurisdictionis inter Laicos non requiri consensum ipsius Judicis ordinarii, cujus forum prorogando alterius jurisdicatio declinatur; sed sufficere consensum partium litigantium; cum jure cautum sit, privatorum consensum facere Judicem eum, qui jurisdictioni præest, L. 3. C. de jurisd. omni. jud. L. 1. & 2. ff. de Judic. Gail. l. 1. observ. 40. n. 1. neque etiam necessarium est, ut ipsius Judicis, in quem fit prorogatio, consensus interveniat, *cit. L. 2. §. Convenire*; junctâ gloss. marg. lit. a. ff. de Judic. modò patiatur postea litem ante se contestari; gloss. ibid. V. *Privatorum*.

Not. 5. cum prorogatio jurisdictionis, supposito litigantium consensu vim habeat à lege, ut dicitur L. 1. & 2. ff. de Judicis; leges autem solum permittant prorogationem ad Judices sub eodem Principe constitutos, ordinario Judici nullam injuriam irrogari per ejusmodi jurisdictionis extensionem in alium sub eodem Principe. Nam beneficium prorogationis est à jure concessum subditis; ideoque non potest auferri, vel impediri à Judice ordinario, quia quod lex, seu jus concedit, non potest tollere homo; arg. L. si adrogator, 22. §. ff. de adoption. sic Layman *cit. conclus. 31.*

N 2

Not.

330.

Not. 6. ad quæstionem: an Laicus in omni casu possit prorogare jurisdictionem in Judice non suo? Resp. quod non. Nam hoc fallit. 1. in causis feudalibus, quæ tractari debent coram Domino directo, ut constat ex c. 5. 6. & 7. h. 2. Fallit. 2. ut Cardin. Tuschus V. *Prorogatio, conclus: 927. n. 9. censet*, in criminalibus prorogationem non posse fieri, quando super crimine proceditur, non per viam accusationis, sed ex mero Officio Judicis per inquisitionem; quia aliàs quilibet Judex posset jurisdictionem suam in alium prorogare; Fallit. 3. in causa appellationis, cum gradatim fieri debeat ab inferiore immediatè ad Superiorem, ut constat ex ipsa definitione appellationis; Fallit 4. juxta nonnullos, quod in causis Ecclesiasticis, & Spiritualibus, quæ Sacramentales non sunt, Laici consentite non valeant in Judicem non suum, etiam Ecclesiasticum, sine consensu Diocesani; ita Hostiensis in Summa, n. 14. h. 1. v. & nunquid, ratione sumptâ ex rubrica 6. q. 3. c. 1. ubi dicitur, quod alterius Parochianum alteri judicare non liceat; sed inter Parochianos est etiam Laicus.

Alii autem distinguunt, & docent, Laicum sine consensu sui Diocesani non posse consentire in Judicem non suum etiam Ecclesiasticum in causis Spiritualibus, *Sacramentalibus* (puta cum agitur de conferendis Ordinibus, vel jurisdictione quoad Sacramentum penitentiae, &c.) secus in *non Sacramentalibus* (ut cum agitur de jure patronatus, decimis, &c.) cujus rationem desumunt ex generali regula, quæ traditur in c. *Significasti*, quæ in solis Clericis specialiter limitata reperitur; & ita tenent Innocent. in c. *de causis, de offic: deleg. Abbas in c. P. & G. eod. n. 15. & alii*; ad textum autem ex illo c. 1. *caus. 6. q. 3. respondent*, eum intelligi de causis *Sacramentalibus*; itaque hanc sententiam esse communem, & magis receptam testatur Barbosa in *dict. c. Significasti, n. 10.*

331.

Not. 6. Quod, quamvis ad prorogationem jurisdictionis requiratur consensus partium in talem Judicem, cujus jurisdictione prorogatur; & prorogatio impediatur, si procedant ex errore, quod credant se illi aliunde subjectas esse, ut diximus supr. 1. id tamen non procedere in casu, quo Judex ex errore putat sibi citra prorogationem aliunde jus competere in tales personas, causam, vel locum; ratio sumitur ex

L. 2. ff. *de jurisdic. ibi: proinde, si privatus consentiant, Prator autem ignorat consentire, & putat, suam jurisdictionem, an legi satisfactum sit; videndum est, & putat posse defendi, ejus esse jurisdictionem, inquit Ulpianus.* Ratio debet esse; quia illius consensus non est conditionatus, aut restrictus ad hoc: si habeat antecedentem jurisdictionem: sed absolute, undecumque eam habeat, vult judicare causam.

Not. 7. Si admittatur, Clericum, qui apud Judicem Laicum convenit Laicum, ab hoc coram eodem posse reconveniri (de quo V. dicta à n. 88.) non propterea jurisdictionem propriè prorogati à partibus; sed potius ex dispositione legis; possè que dici prorogationem *legalem*, quod statuto legis ea reconventio apud eundem Judicem facienda sit; qualiter quandoque in non subditum Judicis jurisdictione extenditur ratione delicti, contractus, &c.

332.

Not. 8. Jurisdictionem Judicis alieni prorogari non posse in quamlibet causam, ut constat ex dict. à n. 30. id, quod maxime procedit, ubi jurisdictione præexistens in Judice restricta est ad unam speciem causarum v. g. ad causas civiles, vel matrimoniales, aut feudales, &c. nam restrictio ad certam speciem causarum, videtur in eum finem fieri, ut respectu aliarum causarum perinde habeatur, ac si nullam jurisdictionem haberet, eò quod ad alias causas judicandas aliæ & aliæ qualitates in Judice requirantur, quas tamen in Judice pro tunc non videtur agnovisse, qui restrictam jurisdictionem mandavit, ideò que censetur noluisse dare jurisdictionem prorogabilem, ob incommoda, quæ inde sequi possent.

Not. 9. jurisdictionem Judicis alieni non posse prorogari ab his, qui non habent legitimam personam in judicio; sic Haunold. *tom. 5. tr. 1. n. 68.* secus cum consensu eorum, qui eis præstant; hinc Tutor & Curator in causa pupilli possunt prorogare jurisdictionem Judicis alieni ex *L. neque, 11. C. de Procurat. ibi: neque Tutores, neque Curatores, ex sua personâ, in rem pupilli, vel adolescentis procuratorem facere possunt, sed Actorem constituere debent*: ex hoc enim, quod Actorem constituere possunt in rem pupilli, communiter deducunt etiam alterum de jurisdictionis prorogatione in rem pupilli.

Not. 10. Quando L. 29. C. de pactis dicitur,

citur; omnes licentiam habere his, qua pro se introducta sunt, renuntiandi (ex quo Cuiacius infert: ergo id etiam possunt Clerici, consequenter & ipsi, dimisso privilegio fori, prorogare jurisdictionem Judicis Laici in Clericos) textum accipi de his, quæ introducta sunt in favorem privatorum; non autem status, Ordinis, aut Collegii; ex n. 3 16. at privilegium fori pro Clericis introductum est in favorem status Clericalis, ex c. *Significasti*, 18. h. t. de quo n. 3 16. jam cit.

333. Not. 11. verum esse, non tantum jus Canonicum, sed etiam Casareum esse jus publicum, & neutri posse derogari pactis privatorum, improbatis ab eo jure; at prorogare jurisdictionem in judicem non solum non est reprobatum jure Casareo; sed etiam Canonico, si à Clericis in Laicum, vel sine licentia Episcopi in Judicem Ecclesiasticum fiat; non autem, si à Laico in Laicum, ut diximus n. 3 16. ergo per hoc non derogatur juri publico; secus, per illud.

334. Not. 12. Controversum esse, an, postquam partes convenerunt in prorogatione jurisdictionis in alienum Judicem, possit alteruter *panitere* ante litem contestationem, & redire ad proprium Judicem; posse mutuo consensu certum esse censet Haunold. tom. 5. tit. 1. n. 8. 3. non autem post litem contestatam solo unius consensu, propter jus alteri quaesitum: ad quaestionem autem propositam, videtur dicendum affirmativè ex L. 18. ff. de jurisdictione. ibi: *si convenerit, ut alius Prator, quam ejus jurisdictionis esset, jus diceret, & priusquam adiretur, mutata voluntas fuerit: procul dubio nemo compelleretur ejusmodi conventioni stare.* Et quamvis huic legi opponi possit regula, *quod semel placuit, amplius displicere non potest*, responderetur, regulam loqui de casu inter duos inducente obligationem, quæ pariat actionem, vel exceptionem; Legem autem 18. solum de conventionem, quæ declarat puram mentis destinationem, vel propositum de aliquo in futurum.

§. VII.

An quis priori Judici respondere teneatur mutato foro?

335. DE hoc agitur in c. *Proposisti*. 19. h. t. Cum enim Gregorio IX. pro-

positum fuisset; quod quidam Episcopi subditus, ad petitionem sui Adversarii ab Episcopo citatus ad causam intenderit iudicium declinare allegando, quod coepisset esse alterius jurisdictionis, consequenter non amplius sit de Foro illius Judicis; atque adeo resolvi à Pontifice petisset, an legitimè citatus ante mutationem fori, teneatur coram Judice citante causam proseguere, non obstante privilegio, vel mutatione domicilii, seu fori superveniente? Respondit Pontifex: *Tua prudentia dubium esse non credimus; quod is in predicta causa jus revocandi forum non habet, quasi ab illo jam preventus*; id, quod etiam probat textus in L. *cum quadam* 19. ff. de jurisdictione. L. *ubi acceptum* 30. L. *si quis posteaquam*, ff. de iudic. L. *Adiles*, 25. §. *item*, 8. ff. de *Adil. edict.* L. *tutor*, 28. L. *ult. ff. de excusat. tur.* L. 4. C. de jurisdictione. L. *ult. C. de veteran.* L. *ult. C. de in jus vocand.*

336. Pro expositione not. ut citatione perpetuetur, seu firmetur jurisdictione citantis in citatum relatè ad causam, propter quam citatus est, antequam desineret esse de foro citantis, requiri duo; primò, quod citatio fiat de mandato Judicis, ut colligitur ex textu, ibi: *à te legitimè citatus*; sic Mynsinger. *Centurià* 6. *observ.* 10. n. 3. Deinde, quod fiat ad petitionem partis, ex eod. ibi: *ad petitionem cujusdam Adversarii sui*, & colligitur arg. c. *Significasti*, 18. h. t. *V. petitionem*; nisi Judex videret perire instantiam; tum enim ex Officio citare posset, juxta Marant. p. 6. *Specul.* à n. 115. aut cum procedit in causis publicis, c. *qualiter*, 23. de *accusat.*

Not. 2. Requiritur præterea, ut fiat à Judice competente; alias enim citatum non arctat, L. *Neminem*, 3. C. de *exhibend.* Reis, ibi: *neminem in iudicio exhibendum precipimus, nisi de cujus exhibitione Judex (utique competens) pronuntiaverit*; & ideo regulariter citatio fit per Apparitorum speciale mandatum habentem, L. *properandum*, §. *etsi*, ff. de *judiciis*, nisi fortè delinquens in flagitio deprehensus capiat; nam tunc lex ipsa licentiam concedit, Gail. l. 1. *observ.* 54. aut nisi ob causæ tenuitatem, aut aliam consuetudinem, sufficiat generale mandatum.

Not. 3. requiritur quoque, citationem esse validam, seu legitimè factam, ut colligitur ex textu, ibi: *à te legitimè citatus*;

consequenter per citationem nullam, & invalidam, jurisdictio non perpetuatur; quia *præventio* per citationem validam inducitur, ut tradit Farinacius in *praxi crimin. q. 7. n. 61.* Sanchez *l. 8. matrim. D. 8. n. 16.* quamvis citatio etiam illegitima sustineatur ex comparatione partis per Lancelot. *de attentat. p. 2. c. 4. n. 116.*

337. Not. 4. Citationis legitimè factæ effectum cumprimis esse, quòd operetur præventionem. Nam hic est casus dicti *c. proposuisti*, in quo Pontifex mandat citatum à priore iudice, et si is postea sub jurisdictione alterius iudicis esse cœpit, comparare coram priore iudice, quia is iudex posteriorem per citationem, adeoque ingressum iudicii, in hac causa prævenit. in *Clem. 1. de jud.* Quod idem est, ac jurisdictionem perpetuare in eadem scilicet causa, neque placet distinctio eorum, qui inter delegatum, & iudicem ordinarium distinguunt, quia utriusque videtur eadem ratio.

338. Not. 5. Quòd dicta citatio perpetuet non solum jurisdictionem, verum etiam eo ipso actionem, sic ut Actor adversus Reum legitimè citatum causam persequi possit, donec finiatur, *c. Gratium*, cum seq. de *Offic. deleg. Clement. 1. & 2. ut lit. pendent.* imò etiam interrumpat præscriptionem 30. annorum, *L. fin. C. de annali excepte.* suspendat iudicis potestatem, ut ante lapsum termini, quem citato ad comparandum præfixit, nihil adversus ipsum discernere, aut exequi possit, *c. cum inter*, de *elect.* ac demùm inducat litis pendentiam. Incipit autem lis pendere, postquam citatio ad partem citatam pervenit, vel ipsa impedit, ne citatio ad illam perveniat, per *Clement. cum lite*, ut *lite pend.*

339. Not. 6. Quæ diximus *n. 337.* procedere, si quis præventus sit à iudice domicilii, si ve delicti, aut contractus; quia textus indefinitè loquitur; sic Layman *de jurisdict. Ordin. n. 19.* definit autem quis esse subditus ratione domicilii habitationis hoc ipso, quòd ex illo territorio egressus sit animo suam habitationem transferendi, nisi ante egressum præventus sit per legitimam citationem à iudice illius domicilii; quamvis aliàs cuique licitum sit domicilium transferre; intellige, *habitationis*, *L. nihil est, 31. ff. ad municip.* quamvis mutato habitationis domicilio non eo-

ipso definat esse subditus ratione Originis *L. 4. C. de municip. L. 6. & 29. ff. ad municip. V. dicta à n. 328.*

Not. 7. Cum in *L. 2. C. de jurisd.* omnium iudic. dicitur, ubi domicilium Reus habet, vel tempore contractus habuit, licet hoc postea transtulerit, ibi tantum eum conveniri oportere (ex quo videtur sequi, quòd Reus in loco novi domicilii conveniri non possit contra *c. dilecti*, 17. *h. t.*) illud tantum posse dupliciter intelligi, ut excludat domicilium Rei novum deserto priori; vel domicilium solum Actoris; de primo intelligi non potest, cum oppositum sit clari juris, ut dictum est; igitur excludit solum domicilium Actoris; Reus enim non tenetur sequi forum Actoris; sed e contra.

Not. 8. Quando dicimus, Reum mutato domicilio ratione contractus posse conveniri coram iudice domicilii, quod habuit, dum contraxit, si per citationem præventus non sit, vel coram iudice novi domicilii, debere intelligi, nisi mutaverit statum, seu factus sit clericus, vel Religiosus; quia tunc propter privilegium fori, quod annexum est statui, eximitur à jurisdictione iudicis laici, & conveniri debet coram ecclesiastico; quod tamen intellige, si ante mutationem status per legitimam citationem præventus non sit à priori iudice. *V. Layman l. 4. Theol. mor. tr. 9. c. 4. q. 3.* & idèd Barbosa in *c. proposuisti, n. 7.* ad illa verba: *quia postmodum alterius jurisdictionis esse cœpit*, docet, hoc facere ad illam quæstionem, quòd receptio clericatus, beneficii, vel servitii in ecclesia, post delictum commissum, proficiat assumentis, *ad effectum exemptionis à iudice seculari.*

Not. 9. Eum, qui contraxit Viennæ, dum haberet domicilium Lincii, non posse conveniri ratione illius contractus Lincii, si prius, quàm à Lincensi iudice legitimè citatus est, domicilium transtulit Græcium; posse tamen vel Viennæ, vel Græcii, nimirum, vel in loco celebrati contractus, vel in loco novi domicilii; colligitur ex *cit. c. Proposuisti*, ubi indefinitè dicitur, præventum à iudice per citationem debere coram illo respondere, licet mutaverit domicilium; ergo si non fuit præventus, poterit declinare forum Judi-

Judicis domicilii jam deserti, ac in aliud mutati.

341. Dices: in cit. L. 2. contrarium statui, nimirum posse conveniri Reum, vel ubi prius domicilium habuit, vel ubi, eo mutato, novum acquisivit; Resp. dictam legem loqui de priori domicilio, *si in eo contraxit*; non autem si contraxit in alio, distincto à veteri, & novo; sic enim in triplici loco posset conveniri, nimirum in loco veteris domicilii, etiamsi non esset præventus; in loco novi; & in loco contractus, quod nimium gravaret Reum: at in nostro casu non ponitur *contraxisse* in domicilio veteri, & relicto, sed distincto: ergo si non sit præventus à Judice veteris domicilii, in eo non poterit hoc casu conveniri.

342. Not. 10. In ordine ad effectum obligationis respondendi coram Judice, à quo quis præventus est, non obstante, quod ceperit esse de jurisdictione alterius mutato domicilio, citationi legitimè factæ æquivalere sententiam sub conditione, vel particularem, vel generalem propter factum aliquod præteritum, latam ante domicilii mutationem, ut tradit gloss. in c. *Præterea*, 40. de appellat. v. *impedire*; quod tamen Layman in dictum c. 40. n. 4. distinguit, & admittit si sententia illa sit *judicialis*, non autem, si *per modum puri præcepti*, nullà præcedente culpâ circa factum aliquod de futuro ponendum, vel omittendum; nam postquam subditus à jurisdictione præcipientis solvitur, etiam liber est à præcepto; ita etiam Sayrus in Thesaur. l. 10. c. 11. n. 19.

ARTICULUS. IV.

An, & qualiter Judex competens jus dicere possit extra suum territorium?

343. DE hoc extat constitutio Bonifacii VIII. relata in c. *Ut animarum*, 2. de Constitut. in 6. ibi: *ut animarum periculis obvietur, sententiis, per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes. Dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Statuto Episcopi, quo (in omnes, qui furtum commiserint) excommunicationis sententia promulgatur: *subditi ejus furtum extra ipsius Diocesim committentes, minime ligari noscuntur. Cum extra*

territorium jus dicenti non pareatur impune; iste textus duo continet, ut notat Joannes Andreas in rubric. *dicti c.* primum, quod statuta Ordinariorum non ligent probabiliter ignorantes; secundum, quod statutum Episcopi extra suam Diocesim subditum non liget. Idem habetur L. *fin. ff. de jurisdic.* ibi: *extra territorium jus dicenti, impune non paretur; idem est, & si supra jurisdictionem suam velit jus dicere.* Ex utroque hoc jure communiter deducunt Doctores, quod Judex non possit directè jurisdictionem suam contentiosam exercere extra suum territorium, sive in alienos, sive in proprios subditos, quoad res & bona in alieno territorio sita, ut notat glossa in *dict. L. fin. v. non paretur*; quia tamen in aliquibus dubitatur; de illis in seqq. dicendum venit, quantum pertinet ad obligationem vitium statutorum; nam, qualiter excuset ignorantia à pœnis per talia statuta impositis, diximus l. 1. tit. 2.

§. I.

An statuto locali, aliquem inhabilitanti ad validè contrahendum, vel disponendum, locus sit etiam quoad bona extra territorium statuentis sita?

344. Cùm frequenter contingat, localibus statutis directè præscribi certam formam, sub qua contractus celebrari, vel ultimæ voluntates fieri debeant, sic, ut aliter celebrati, aut factæ, valore careant; vel etiam, ut actus valeat sub hac, vel illa solennitate, licet jure communi non valeat cum illa: quaestio est, an ejusmodi contractus, aut testamentariæ dispositiones in ejusmodi loco factæ porrigantur etiam ad bona extra territorium statuentis sita? Ratio negandi videtur esse ex juribus allatis præcedente numero; quibus positus:

345. Dicendum, si quis faciat dispositionem per ultimam voluntatem de bonis suis (v. g. eorum hæredem scribendo Titium) dispositione factâ secundum particulare atque favorabile statutum loci, directè habilitantis actum, ut valeat, modò celebratus sit coram duobus Testibus; vel modò de tali disponentis voluntate constet, sine ulla alia solennitate, valere actum, & porrigi etiam ad bona extra territorium statuentis.

tuentis sita; quod etiam dicendum venit de contractibus, qui manent merè civiles, in tali loco, juxta, vel contra particulare ejusmodi statutum celebratis. Ratio est; quia licet Judex loci nihil *directè* disponere possit de bonis in alieno Territorio sitis; potest tamen *directè* disponere de ipsis actibus, qui in tali loco celebrantur, sic, ut sub hac, vel illa forma celebrati, vel non celebrati valeant, aut non valeant; sed hoc ipso *consequenter*, & *indirectè* disponere potest in bonis suis etiam sitis extra Territorium; pat. consequ. quia Testamentum, quo quis validè disponit de omnibus bonis suis, *directè* afficit omnia bona Testatoris; ergo statutum *directè* cadens in tale Testamentum illud sub tali forma validans, consequenter & *indirectè* afficit omnia bona Testatoris; sed inter omnia ejus bona sunt etiam ea, quæ sita sunt extra Territorium statuentis; ergo. Ad rationem in contrarium Resp. verum esse, quòd Judex nihil *directè* possit statuere de bonis in alieno Territorio; secus *indirectè*, ut dictum est.

346.

Ex hoc sequitur. 1. Titium, qui à Testatore scriptus est hæres omnium bonorum immobilium, vi Testamenti (ex locali statuto validi cum duobus tantum testibus, aut contenti solum in Scheda, ex qua constet de tali voluntate Testatoris) capere posse non tantum bona immobilia Testatoris intra, sed etiam extra territorium statuentis sita; quia jure vocatur ad successionem in illa, nimirum ex Testamento valido; non autem ex dispositione statuti localis quicquam disponentis circa bona sibi *directè* non subjecta. Sequitur 2. id procedere, sive talis dispositio fiat ab Incolis, sive à Peregrinis, dum existunt in loco talis statuti particularis. Nam contractus civiles, qui manent merè civiles, aliæque dispositiones in aliquo loco celebratæ regulantur juxta formam statutorum localium, saltem in favorabilibus, & ubi aliud non exprimitur.

347.

Sequitur. 3. Si statutum locale sit favorabile (habilitans personas jure communi inhabiles (v. g. ut filius familias de bonis adventitiis testari possit) & in loco talis statuti Titius testetur etiam de bonis adventitiis, Caium hæredem scriptum succedere in bona Titii adventitia etiam extra territorium statuentis sita in loco, ubi est statu-

tum, vel lex contraria. Ratio est eadem; quia tunc hæres vocatur in successionem ex dispositione valida, non Judicis *directè* jurisdictionem extendentis in bona *directè* non subjecta; sed solum in dispositionem, vel actum in tali loco validè celebrandum. Dixi, si statutum sit favorabile, nimirum habilitans personam, jure communi inhabilem, ut celebrando contractum, vel testando juxta formam locali statuto præscriptam validè, ac licitè agat.

Difficultas est, an idem procedat, si sit *odiosum*, ut si personas jure communi habiles reddat inhabiles ad contrahendum, testandum, vel legandum, aut simpliciter; aut sine, vel contra formam specialem, vi statuti particularis præscriptam? Quæstio non procedit de Incolis, sed Peregrinis; illi enim *directè* subsunt jurisdictioni Judicis talis Territorij, cujus sunt inquilini: nec etiam in præsentia procedit de statutis pœnalibus (de his enim dicemus §. 2.) sed de meris contractibus, & dispositionibus, cujusmodi sunt dispositiones ultimatum voluntatum, & alij actus non subjecti pœnis, esto fiant sine, vel contra formam talis statuti; quibus positis:

Dicendum, peregrinos non affici statutis locorum odiosis in ordine ad celebrandos validè illos actus, ad quos jure communi habiles sunt, esto ceteròquin statuto locali sine, vel contra formam talis statuti præscriptam celebrati ab Incolis invalidi sint; ita Layman *in Summa l. 1. tr. 4. c. 12. n. 4.* ex communi sententia, quòd peregrini, esto gaudeant privilegiis, & favoribus ex statuto locali concessis, dum sunt in tali loco, non tamen ligentur oneribus, quæ nascuntur ex statutis localibus, & odiosis, quando ab illis ceteròquin exempti sunt jure communi. Nec obstat Peregrinos, & Advenas teneri statutis localibus in speciale bonum talis loci conditis, ut diximus *l. 1. tit. 2. an. 571.* nam, quòd Peregrinus per ultimam voluntatem disponat sine respectu ad tale statutum, conformiter tamen ad jus commune, vel statutum locale sui domicilii, de bonis suis, extra Territorium, in quo peregrinus est; sitis, non pertinet ad speciale bonum jus Territorii.

Ex hoc sequitur, valere donationem peregrini sine insinuatione jure communi non exigita, esto ea exigatur vi statuti localis,

348.

349.

localis, in quo peregrinus existit, dum donat; idem est de Testamento, facto in favorem ejus, quem jure communi peregrinus instituere potest, licet in loco, ubi Peregrinus est, & testatur, vi statuti localis ejusmodi persona ex Testamento capere inhabilis sit; nam dispositio odiosa talis statuti localis non cadit directè in actus Peregrinorum in eo loco celebratos, si jure communi ab illis ceteròquin validè celebrari possint, ut dictum est præcedente num. excipi tamen debent contractus à peregrino celebrati cum Incola talis loci. Nam Incolæ contractus in proprio territorio aliter inire non possunt, nisi secundum statuta, & consuetudinem locorum quoad solennitates & formam inibi præscriptam; sic Bartolus in *L. 1. C. de SS. Trinit. n. 32. Abbas in c. fin. h. t. n. 30.*

350. Dices contra conclusionem in n. 48. si quis per præceptum, vel sententiam sit inhabilis ad validè celebrandum aliquem actum, ad quem jure communi est habilis, non propterea validè celebrabit illum in loco peregrinus, ubi vi statuti localis abest talis inhabilitas; ergo si quis per statutum locale sui v. g. domicilii sit inhabilis ad celebrandum aliquem actum, ad quem jure communi est habilis, non propterea celebrabit illum validè Peregrinus, ubi vi statuti localis abest talis inhabilitas; patet consequ. quia non minus tale statutum, quam præceptum directè tendit in personam; ergo sicut stante præcepto proprii Superioris inhabilitate non tollitur inhabilitas per locale statutum, ubi quis Peregrinus est; sic nec per statutum locale, stante contrario statuto proprii domicilii Resp. N. consequ. Nam à præcepto, & sententia Judicis domicilii: ligante subditum etiam extra territorium, non rectè arguitur ad statutum domicilii, ut pariter liget etiam extra territorium, & consequenter, sicut præceptum, sic etiam statutum proprii domicilii impediatur favorem ex statuto loci, in quo quis Peregrinus est. Aliàs Incola Diocesis Salisburgensis, ubi festum S. Ruperti, est festum inducens obligationem audiendi missam, deberet eo die audire missam, esto existat in alia Diocesi, ubi non est festum inducens obligationem audiendi missam, contra communem.

Ratio igitur discriminis est, quòd præceptum Superioris, & sententia Judicis per

Tom. II.

se proximè, seu immediatè, ac directè tendat in personas subditas non ratione loci, aut alterius circumstantiæ extrensecæ, sed ratione sui, ac eis quasi infixæ censetur, & committetur, ubicunquè sint; statutum autem locale, nec per se proximè, seu directè afficiat personas subditas ratione sui, sed per accidens, mediatè, ac indirectè, ratione loci; ergo licet impediatur favor statuti localis in peregrino per præceptum & sententiam, cum hæc etiam ibi sint, ubi peregrinus est; non tamen impediatur per statutum domiciliare; quia hoc non est ibi, ubi peregrinus est. Ant. probatur: quia si statutum æquè directè, ac per se tenderet in personas subditas Judicis talis loci, non obligaret eos, qui primò post domicilium acquirunt in loco talis statuti; ergo solum ligat personas ratione loci, quatenus in illo sunt, ut constat ex juribus allatis *cit. loc. lib. 1.*

2. II.

An statuto locali simul & pœnali locus sit extra territorium statuentis?

A Nte resolut. notandum ex *dict. l. 1. à n. 584.* pœnam à statuto locali decretam non incurri propter actum, vel omissionem exercitam ab existente extra territorium statuentis contra statutum locale, nisi talis actus, vel ommissio cedat in speciale damnum territorii, contra cujus statutum exercetur, ut dictum est *ibid. n. 590.* quibus prænotatis: loquendo primùm de præcepto, vel pœnali sententia Judicis, dicendum, quòd Judex regulariter non possit eam extra, vel ultra territorium extendere per executionem in alieno; cujus ratio sumitur ex allatis juribus *loc. cit. & hic n. 343.* excipe tamen. 1. nisi hoc fiat de consensu Judicis, qui est in eo territorio, vel eidem puniendum committat; 2. nisi pœna sit à lege communi utrique Judicis; eo enim casu Judex territorii B. tenetur exequi sententiam latam à Judice A. si ad Territorium Judicis B. dirigatur, idque imperio legis, non autem alterius Judicis, ut colligitur ex *c. Presbyter, 12. dist. 81.* ubi lege decernitur depositio Presbytero, vel Diacono in perjurio, fornicatione, vel furto deprehenso.

351.

○

Hoc

Hoc confirmari potest ex ampliori resolutione quæ habetur in c. *Postulasti*, 14. h. i. ubi Pontifex Innocentius III. rescribens Episcopo Senicensi, postulasti, inquit, per Sedem Apostolicam edoceri, utrum Sacerdos habens Ecclesiam in una Diocesi, & residens in eadem, domicilium verò, patrimonii ratione, in alia, ibi delinquens, ab eo, in cujus Diocesi habet patrimonium, pro delicto ibidem commisso debeat judicari, præsertim in causis, quæ officii sui, seu beneficii privationem exposcunt? cui breviter respondet: quod per Episcopum, in cujus Diocesi deliquit, sententia promulgari poterit in eundem; Sed ab eo, in cujus Diocesi beneficium obtinet, erit quoad illud executio facienda.

352.

Ex hac enim decisione deducitur. 1. Clericum delinquentem in alia Diocesi, puniri posse ab Episcopo ejusdem loci; non posse tamen sententiam pœnæ infligivam extendere ultra suum territorium, ut alibi executionem habeat, v. g. ut ibi virgis cædatur, in exilio moretur, &c. nisi alter Judex, ad cujus locum sententia dirigitur, requisitus, sententiam exequi paratus sit, vel pœna decreta sit per legem utriusque communem; aut naturâ suâ officiat absolulè personam, sine ordine ad locum, uti excommunicatio. Ratio hujus est, quia Judex extra territorium non potest exercere actum jurisdictionis ex n. 343. sed executio sententiæ est actus jurisdictionis; ergo.

353.

Deducitur. 2. quod, si Episcopus per sententiam, non ex legis præscripto, sed propter hominis contumaciam, proprio motu suspensionem inferat Clerico à beneficiis, sententia ejus non extendat se ad beneficium, quod Reus habet in altera Diocesi; sic Felinus in *dict. c. postulasti*, n. 4. quia sic jurisdictionem exerceret extra suum territorium. Hinc, si talis Clericus habeat duo beneficia, unum in loco Episcopi, qui per sententiam eum suspendit à beneficiis; alterum, extra illius sententiæ non est suspensus à beneficio sito extra territorium suspendentis; cum contret ex c. *si Compromissarius*, 37. de elect. in 6. quod possit quis contrahere privationem, vel suspensionem à beneficiis unius Ecclesiæ, & non alterius.

354.

Deducitur. 3. aliud esse, quod subditus etiam existens extra territorium delin-

quat, transgrediendo præceptum pœnæ legitimi Judicis, ponendo actum oppositum etiam extra territorium; aliud, quod Judex pœnam, eo præcepto statutam, exequi valeat extra suum territorium; primum conceditur, cum præceptum liget subditum existentem etiam extra territorium præcipientis, juxta l. 1. tit. 2. at secundum negatur ex n. 350. intellige tamen juxta limitationes ibique; si tamen pœna, quam Judex delicti infligit, quæ subjectum dispositione juris reddit simpliciter inhabile v. g. ad retinendum aliquod beneficium, eo ipso per connexionem privaretur omnibus. Hæc de pœnis, quæ per sententiam decretæ sunt, vel transgressione præceptorum incurruntur, aut ejus causâ infligendæ sunt.

Loquendo autem de pœnis per statuta locorum decretis, dicendum, eas non incurri à subditis, quando extra territorium statuentis committunt positionem, vel omissionem actus oppositam statuto; cujus ratio est, quia statuta localia non ligant subditos existentes extra territorium statuentis ex l. 1. tit. 2. à n. 384. & hic n. 340. ergo positio, vel ommissio actus posita extra territorium statuentis non habet rationem culpæ contra tale statutum; ubi autem non est culpa contra aliquam pœnalem legem, ibi nec est incursum pœnæ per eam transgressoribus decretæ. Hæc porro intellige juxta id, quod notavimus n. 350. nimirum, nisi positio, vel ommissio actus redundet in speciale damnum, vel injuriam territorii.

ARTICULUS V.

De Privilegio fori.

Privilegium fori, quo communi Doctorum consensione gaudent Clerici, consistit in eorum exemptione à jurisdictione seculari tam in criminalibus, quam civilibus; non tantum quoad personas ipsorum, sed etiam res, & bona. Competere Clericis talem exemptionem jure non tantum Ecclesiastico, sed etiam civili, imò & divino saltem tradito, & per Ecclesiam, ex Dei ordinatione explicato, late ostendimus l. 1. à n. 640. & hic à n. 66. & 320. his præmissis:

§. I.

§. I.

Qui gaudeant Privilegio fori ?

357. **D**E hoc agitur pluribus in locis Sacrorum Canonum; nam in c. 2. h. t. ex Concilio Parisiensi, relato in jus commune, statuitur, ne *ullus judicum*, sine permisso Pontificis, *per se* (nimirum sua auctoritate) presumat distringere, aut contemnere, *ullum Clericum*, aut Ecclesie minorem; de quo plura V. l. 1. tit. 2. à n. 640. & hic loco jam cit. in Trid. *autem sess. 23 de reform. c. 6.* ita statuitur: *nullus primâ tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus*, ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere. *Is etiam fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum, & Tonsuram deferens, alicui Ecclesie ex mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur.* In Clericis verò *conjugatis* servetur constitutio Bonifacii IX. quæ incipit: *Clerici, qui cum unicis*, modò hi Clerici alicujus Ecclesie servitio, vel Ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesie serviant, vel ministrent, & Clericali habitu, & Tonsura utantur, nemini, quo ad hoc, privilegio, vel consuetudine etiam immemorabili, suffragante.

358. Ante resolut. not. 1. *beneficium* hic in ordine ad gaudendum privilegio fori, accipiendum latè (cùm simus in dispositione valde favorabili Clericorum statui, qui utique Laicali superior est in re) adeoque venire quodlibet percipiendi redditus ex bonis Ecclesie propter officium aliquod spirituale; consequenter, beneficium etiam modici redditus; Capellaniam collativam, in titulum perpetuum collatam; pensionem Ecclesiasticam loco tituli assignatam, vel præstimonium causâ spiritualis obsequii, aut Coadjutoriam cum jure succedendi; imò & solum titulum beneficii collati, nondum adepta possessione, de quibus V. Barbof. *in dict. c. 6. CC. Trid. à n. 14.* qui id probat variis *decisionibus Cardinal. pro dub. Trid.*

359. Not. 2. quando in Trid. exigitur, ut ad *Tom. II.*

effectum privilegii fori deferatur *habitus*, & *Tonsura*, requiri utrumquè copulativè; adeoque unum sine altero non sufficere; sic Castropalaus in opere morali *tr. 12. D. unicâ p. 2. n. 7.* Barbof. *p. 2. allegat. 12. n. 19.* & plures alii; ubi tamen nota, ficti quasdam exceptiones ab Authoribus, ut *non portatio habitus* non obstat. 1. si solum ad breve tempus habitum, aliàs portari solitum, deponat; ut notat Barbof. *in dict. c. 6. CC. Trid. n. 22.* vel si ob paupertatem, aliamvè justam causam non deferret, ut colligitur ex *c. Clerici, de vita, & honest. Cleric. de quo V. l. 3. à n. 30.*

Not. 3. ut quis dicatur inservire *Ecclesie*, sufficere, quòd deserviat etiam alicui Capellæ existenti in Ecclesia; juxta *Dianam resol. moral. p. 1. tr. 2. resol. 34.* ut autem verificetur, quòd *deserviat*, opus esse, quòd hoc præstet *de presenti*, nimirum constituto sibi officio, & munere talis servitii; sic Carolus Graffis *de effectib. Clericat. effect. 1. n. 1179. qui n. 1367.* censet servitium debere omninò consistere in spiritualibus; nec sufficere in temporalibus, id, quod etiam tradit Novarinus *in Singular. Canon. conclus. 92. à n. 2.* his præmissis:

Dicendum. 1. spectato jure communi, quemvis Clericum gaudere fori privilegio, tam in civilibus, quàm criminalibus; constat ex *dict. n. 357.* quid porrò veniat nomine Clerici in dispositione favorabili, tradimus *l. 3. à n. 3.* Quia verò plures Clerici (nimirum vel tantum minoribus Ordinibus, vel solâ primâ Tonsurâ initiati) relicto Clericali statu, aliis se munii applicant, vel etiam conjugia ineunt, Concilium Tridentinum (ut retulimus *n. 357.*) statuit, ut nullus primâ tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, fori privilegio gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum, & Tonsuram deferens, alicui Ecclesie, ex mandato Episcopi, inserviat; vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur.

Ex hoc sequitur. 1. hodie non tantum Clericos in sacris, sed etiam tantum in minoribus constitutos, vel etiam primâ tonsurâ initiatos, si non sint conjugati, gaude-

re privilegio fori, si beneficium Ecclesiasticum obtineant, ut constat ex c. 6. Trid, ibi: *nisi beneficium Ecclesiasticum habeat*; eos verò, qui non sunt in Sacris, & beneficium carent, non gaudere illo privilegio, nisi habeant reliquas conditiones à Trid. requisitas, de quibus num. præced. Dixi, *si non sunt conjugati*; nam de Clericis conjugatis dicemus infra à n. 367. & not. quòd Barbof. in dict. c. 6. Trid. n. 11. ad illa verba *nisi beneficium Ecclesiasticum* &c. resolvat ex Julio Claro, § fin. q. 36. à n. 16. & aliis, obtentionem beneficium sufficere ad effectum hujus privilegii, quamvis habitum Clericalem, & tonsuram non deferat; eò, quòd in aliis solum requiratur propter particulam disjunctivam, aut, ut scilicet requiratur gestatio habitus in carentibus beneficio, modò unam ex aliis qualitatibus ibi relictis obtineant.

363. Sequitur. 2. Clericum non conjugatum, etiam solis minoribus, vel primâ tonsurâ initiatum gaudere privilegio fori, licet non habeat beneficium Ecclesiasticum, modò deferat habitum Clericalem, & ex mandato Episcopi alicui Ecclesiæ inserviat; vel in Seminario Clericorum, aut in schola, seu studiis versetur; ut liquet ex verbis Trid. n. 357. quæ verba, juxta P. Suarez l. 4. de defens. fidei, c. 27. n. 12. præscribunt formam ad effectum dicti privilegii per ejusmodi Clericos obtinendi.

364. Not. autem, quando dicitur, requiri, quòd *ex mandato Episcopi*, deserviat alicui Ecclesiæ, mandatum debere esse *expressum*, ut vult Menoch de præsumpt. l. 6. præsumpt. 76. n. 41. sufficere tamen voce datum, per Aloyf. Riccium in praxi rerum fori Ecclesiastici, decis. 601. juxta primam editionem; Caterum, juxta modernam praxim, & consuetudinem jam receptam, ut quis dicatur *de mandato Episcopi* deservire, seu adscriptus esse alicui Ecclesiæ, sufficit, quòd realiter servitium fiat in divinis; ita Riccius cit. p. 4. decis. 111. à n. 5. & alibi, apud Barbof. in dict. c. 6. Trid. n. 32. idquæ ex pluribus decisionibus Congr. Card. pro dub. Trid. tum quia hoc ipso, quòd quis assumatur in Clericum, deputatur ad servitium alicujus Ecclesiæ; tum

quia, ut dictum est; id jam habet consuetudo recepta.

Jam verò loquendo de Clericis conjugatis, solum in minoribus, aut primâ tonsurâ initiatis, dicendum; eos non gaudere privilegio fori, nisi sub his conditionibus, nimirum, si contraxerunt cum unica, eaque Virgine; habitum Clericalem deferant, & de mandato Episcopi, alicui Ecclesiæ deserviant; constat hoc primum ex verbis Tridentini relatis n. 343. ibi: *in Clericis verò conjugatis* servetur Constitutio Bonifacii VIII. inc. 1. de Clerico conjugat. in 6.

Constitutio autem Bonifacii sic habet: 366. Clerici, qui cum unicis, & Virginibus, contraxerunt (si tonsuram & vestes deferant Clericales) privilegium retineant Canonis ab Innocentio Papa 11. prædecessore nostro editi favorem *totius Ordinis Clericalis*. Et cum (juxta Parisiense Concilium) nullus Clericus distringi, aut condemnari debeat à Judice seculari: præsentem declaramus edicto *hujusmodi Clericos conjugatos pro commissis ab eis excessibus, vel delictis, trahi non posse criminaliter, aut civiliter ad judicium seculare: nec ab ipsis secularibus Judicibus eos debere personaliter, vel etiam pecuniatiter*: (ne per unam viam concedatur eisdem Judicibus, quod per aliam denegatur) *ullatenus condemnari. In cæteris autem, vel nisi (ut præmittitur) tonsuram, vel vestes ferant Clericales, etiam in præmissis eos gaudere nolumus privilegio Clericali.*

Ex hac constitutione colliges, Clericos 367. conjugatos retinere privilegium canonis; 2. ad retinendum privilegium fori, per eam solum exigi duas conditiones, nimirum, si contraxerunt cum unica, eaque virgine; & deferant habitum Clericalem; tertiam verò, quòd mandato Episcopi deserviant alicui Ecclesiæ, appositam à Tridentino, ut patet ex n. 357. Collig. 2. Clericos conjugatos non gaudere privilegio fori pleno; nimirum tantum in criminalibus, sed non civilibus, ut constat ex textu relato num. præced. ibi: *in cæteris autem, &c.* ita Covarr. practic. c. 31. n. 6. Layman l. 4. Summa tr. 4. c. 8. & alii. Adeoque pro debito civili eos capi & detineri posse per Judicem Laicum, juxta Gu-tierrez de jurament. confirmat. p. 1. c. 17. n. 11.

n. 11. nec exemptos esse à tributis; Sanchez l. 7. matr. D. 46. n. 16. & alii.

368.

Riccus tamen in decis. Curia Archiepiscopalis Neapolit. p. 4. decis. 320. n. 5. & alij, existimant, Clericum conjugatum, si contrahat cum Virgine, & tonsuram ac habitum Clericalem gestet; & alicui Ecclesiae deferat, gaudere privilegio fori, non solum in criminalibus, sed etiam in civilibus, & ante Judicem Ecclesiasticum esse conveniendum. Sed textus dict. c. 1. expressè loquitur solum, nec conveniantur, & condemnentur a Judicibus Laicis *super excessibus, & delictis*; sive criminaliter, sive civiliter de illis agatur, ita, quod propter ejusmodi excessus, & delicta, nec *personaliter* nec *pecuniariter* in judicio seculari condemnari possint; in ceteris autem secus, ut patet ex postremis verbis c. 1. ibi: in ceteris autem (nimirum causis, quæ non continent excessum, & delictum, sed causam merè civilem) etiam in præmissis gaudere nolumus eos privilegio Clericali; id, quod etiam procedit, si non deferant habitum Clericalem.

369.

Dices: *in dict. c. 1. Bonifacius VIII. expressè dicit: in ceteris autem, vel nisi (ut præmittitur) tonsuram, vel vestes ferant Clericales, etiam in præmissis eos gaudere nolumus privilegio Clericali*; ergo etiam in ceteris gaudebunt privilegio Clericali, si tonsuram, vel vestes ferant Clericales; ergo non tantum in causis criminalibus, vel criminaliter, vel civiliter intentatis, sed etiam merè civilibus; patet conseq. quia, quando dicit, quod Clerici conjugati non gaudeant Clericali privilegio *in ceteris*, nimirum *merè civilibus* (antecedenter enim agebat de criminalibus) ponit claram exceptionem, *nisi vestes ferant Clericales*; ergo si hoc faciant, etiam *in ceteris*, nimirum *merè civilibus*, gaudebunt Clericali privilegio.

370.

Verum hæc est mala expositio textus in §. *in ceteris autem*. Nam si rectè attendantur verba illius textus, duo sunt, quæ ibi statuuntur de Privilegio fori. 1. quod Clerici conjugati, habentes conditiones ibi expressas gaudeant privilegio fori *in causis criminalibus*, sive criminaliter, sive civiliter agatur de illis; non au-

tem *in ceteris non criminalibus*. 2. quod si non ferant vestes Clericales, non tantum *in ceteris*, sed nec *in præmissis*, nimirum in criminalibus gaudeant privilegio fori; hic est genuinus sensus illius textus *in dict. c. 1.* ut constabit eum rectè consideranti. Quare ad object. C. ant. N. utramque conseq. cum expositione textus ibid allata; his præmissis:

371.

Quæstio ulterior est. 1. an privilegio Clericali gaudeant etiam Uxores Clericorum? 2. an eorum concubinae? 3. illorum famuli mercede conducti? 4. an etiam Rustici, & coloni alicujus Ecclesiae? Potissima quæstio est de Privilegio fori; nam Privilegium canonis negat eis Pirrhing *h. t. n. 95.* volens illud fundari, & concedi ratione characteris; sed sic nec eo gaudent Religiosi Laici, Noviti, & alii, qui nullum etiam ex minoribus Ordinem habent; cujus tamen contrarium est commune; & idè etiam contra P. Sanchez, qui l. 7. matr. D. 47. n. 7. docet Uxores Clericorum, etiam eorum, qui sunt in Sacris (quales sunt Græci, vel etiam Latini, qui de consensu Uxoris; Religionem ingressi, in Sacris ordinati sunt) non gaudere privilegio Clericali, quia id Clericis concessum est ratione Ordinis; utitur dicto argumento, quod sic sequeretur, nec Religiosos Laicos eo gaudere, cum & illi careant ordine.

372.

Ad 1. igitur Resp. probabilius videri, non gaudere; ratio est, quia privilegium Clericale concessum est *personis Ecclesiasticis, ratione Status*, quo eminent supra statum secularem, ex num. 366. id, quod commune est non tantum Clericis, sed etiam omnibus Religiosis utriusque sexus; non autem aliis; sic enim est privilegium personale; ita Joannes Andreas *in c. unic. de Cleric. conjug. in 6.* & alii. Unde, quando dicitur, quod Uxor sequatur jurisdictionem, & forum mariti; ergo ubi Clericus conjugatus habet forum, ibidem etiam habebit ejus Uxor; quia per hoc Uxor non evadit deterioris conditionis, quod maritus ejus sit Clericus: Resp. pronuntiatum illud verum non esse in his, quæ marito competunt, in quantum est persona Ecclesiastica; nam hæc personam non egrediuntur.

373. Dices: Uxor Clerici conjugati, saltem si sit in Sacris, est aliquo modo etiam persona Ecclesiastica; ergo & illa gaudet hoc privilegio. Resp. quod Abbas, Imola, & Fagnanus, apud Pirrhing citatum num. 95. concedant illatum, etiamsi talis Clericus non sit in Sacris; Pirrhing autem ibid. §. *aliud*, affirmet etiam illatum tanquam probabilius, si Clericus maritus sit in Sacris; extendens etiam ad filios talium Clericorum, saltem durante vitâ Patris, pro hoc etiam allegato Barbof. l. 1. *Juris Eccles. c. 39. num. 62.* Verum persona Ecclesiastica, cui ratione status conceditur hoc privilegium, non est, nisi deputata ad Divinum servitium vel per primam Tonsuram, aut Ordines; vel per assumptionem status Religiosi; quorum nihil habent Uxores Clericorum.

374. Ad 2. Affirmativam deducunt aliqui ex c. *Eos, qui*, 10. dist. 32. ubi Urbanus II. ait: *eos, qui, post Subdiaconatum, Uxoribus vacare volunt, ab omni Sacro ordine removemus, officioque, atque beneficio Ecclesia carere decernimus.* Quod si ab Episcopo commoniti non se correxerint, *Principibus indulgemus licentiam*, ut eorum feminas mancipent servituti: Si verò Episcopi consenserint eorum pravitatibus, ipsi officii interdictione mulentur. Ex hoc enim textu inferunt: ergo cum Principibus Laicis ibi concedatur *facultas*, eorum feminas servituti mancipiandi, si tales Clerici ab Episcopo commoniti non se correxerint; per se, & extra hunc casum cognitio de fornicatione cum Clerico ejusmodi mulierum non pertinet ad forum Principis Laici; sed Ecclesiastici, ut etiam vult gloss. ibid. *V. Eos, qui.*

375. Resp. ex hoc non probari, ejusmodi concubinis concedi privilegium fori; nam solum sequitur, *ratione connexionis cause*, fornicationem talis mulieris cum Clerico, pertinere ad forum Judicis Ecclesiastici; quia, cum causa sit individua, & Clericus coram Laico conveniri non possit, debet cognosci ab Ecclesiastico, qui potest cognoscere de delicto Clerici, & annexis; deinde, si talis mulier gauderet privilegio fori, etiam esset extra forum Judicis Laici, si peccaret cum seculari;

quod merito negat Fagnanus in c. 3. h. 1. num. 29.

376. Alij dicunt, concubinas Clericorum committere Sacrilegium; præsertim, si peccent cum Clericis in Sacris constitutis: adeoque esse crimen mixti fori, ita, ut uterque Judex contra concubinas procedere possit, easque punire, tam Ecclesiasticus, quam secularis, sitque inter eos præventioni locus; Abbas in c. 2. n. 4. de *cohab. Cleric. & mulier.* Et in c. *ut Clericorum*, n. 7. de *vita, & honest. Cleric.* Felinus in c. *cum sit*, 8. n. 14. h. 2. & alij apud Fagnanum hic num. 26. & duobus seqq. Verum, si Judex Laicus, sine licentia Prælati Ecclesiastici, non potest cognoscere de delicto, v.g. fornicationis inter concubinam, & Clericum gaudentem privilegio fori, quia talis concubinitas continet causam individua inter Clericum, & concubinam, in qua non potest institui processus, nisi tangatur etiam persona Clerici, exempti a foro Judicis Laici; idem erit, si concubinitas ille sit Sacrilegus (ut si Clericus concubinarius sit in Sacris) eodem enim modo talis causa est invidua inter illam, & Clericum.

377. Ad 3. Resp. negative; quia non sunt personæ Ecclesiasticæ, juxta num. 373. nec etiam aliunde habetur, privilegium illud ad ipsos extensum esse; aut illis aliunde acquisitum; excipiunt aliqui familiam Episcopi, propter textum in c. *su. & petiit*, de *Offic. Archidiacon.* ubi, cum Archidiaconus allegasset, consuetudinis esse, quod omnes suæ ditionis convenirentur coram se, excipitur *familia Archidiaconi, & cause ipsius Archidiaconi.* Sed ex hoc textu consuetudo si probata est, firmatur solum super jurisdictione Archidiaconi, non super exemptione familiarum Archidiaconi. Ad 4. Resp. esse distinguendum, an sermo sit de bonis propriis eorum Colonorum? an iis, quæ tenent ab Ecclesia? in primo casu negandum; in secundo affirmandum est illis competere privilegium fori. Ratio primi est, quia tales Coloni nullum habent titulum exemptionis, vel ratione personæ suæ, vel ratione bonorum; secus in secundo; cum Ecclesiarum bona non minus, ac personæ Ecclesiasticæ ab omni jurisdictione Laicorum exemptæ sint ex dictis jam sæpe in præcedentibus.

§. II.

Quibus casibus privilegium fori, aut amittatur, aut non patrocinetur?

378. **R**esp. 1. multiplices esse ejusmodi casus, in quibus dictum privilegium amittitur. Primum enim Clericus, in minoribus tantum constitutus, nec beneficiatus, amittit privilegium fori, si Clericalem habitum dimittat; ut constat ex Trid. supr. num. 361. ibi: *aut Clericalem habitum, & tonsuram deferens*; ubi tamen nota, sine fraude reassumpto habitu privilegium recuperari prout resolvit Sacra Congregatio, cujus verba refert Haunold. tom. 5. tr. 1. num. 278. Censetur autem habitum dimittere, ad hunc effectum, si continuo incederet in habitu laicali, sic, ut publice existimaretur Laicus; ita Bonacin. de legib. D. 10. q. 2. p. 1. §. 4. num. 15. & alii; & hæc privilegii amissio propter dimissum habitum procedit, licet ab Episcopo monitus non sit de illo deferendo; sic Ugolinus de Offic. Episcopi, c. 12. num. 3. & alij: hoc enim nec in Trid. nec alio jure, quoad istum casum, cavetur, post Tridentinum.

379. Circa hunc casum de recuperatione privilegij per reassumptionem habitus, prius dimissi, quaestio est, an id procedat (consequenter sit exemptus à foro Laico) si delictum commisit, dum deferret habitum, sed postea dimisit? 2. si dimisso habitu deliquit, & postea reassumpsit habitum, antequam à Judice præventus esset citatione, captura, vel condemnatione? Ad 1. affirmat Covarr. pract. qq. c. 31. num. 15. & alij; si scilicet tempore commissi criminis habitum gestavit, licet antè, vel post habitum dimiserit: quia, ut quis ratione delicti sortiatur forum coram Judice illius loci, necesse est; quod, dum delinquit, non sit personaliter exemptus à tali foro; at Clericus etiam non beneficiatus, dum deserit habitum, est personaliter exemptus à foro Laico ex num. 357. & dum delinquit, ponitur deferre habitum; ergo tali casu non poterat ratione delicti forum sortiri coram loci Judice Laico.

Ad 2. Resp. pariter affirmative; quia, licet tempore commissi criminis dimisso habitu, non gauderet privilegio fori; ut dictum est, consequenter, sortitus sit forum coram Judice loci, quantumvis Laico; quia tamen reassumpto habitu recuperavit privilegium fori, ex num. 379. si ante hoc non est præventus à dicto Judice, recuperato privilegio desit esse de illius foro non minus, quam si incola muret domicilium prius, quam sit præventus à Judice juxta dicta à num. 335. sic Julius Clarus in pract. crimin. §. fin. q. 36. n. 16. Farinac. in praxi. l. 1. tit. 1. q. 8. n. 66.

380. Resp. 2. si Clericus in Sacris, vel etiam tantum in minoribus, sed beneficiatus nunquam deferat habitum, nec assumat etiam post trinam monitionem Episcopi, consequenter incorrigibilem se ostendat, amitti ab eo privilegium fori; per c. in audientia 25. de sent. excommunic. cum enim Clementi III. propositum esset, utrum Clerici, qui arma militaria (relictò habitu Clericali) gestare nullatenus erubescunt: si eis fuerit injuria corporalis illata, vel se à captione redemerint: illà Clericorum debeant immunitate gaudere, quã pro temeraria manuum injectione facta in Clericum, excommunicatus; quis ipso jure notatur? respondit Pontifex: quod, cum frustra Ecclesia impleret auxilium, qui committit in ipsam; & lex secularium Principum huic responsio satis efficacem afferat argumentum; quã manifestè cautum habetur, matronam, cujus pudicitia attentata fuerit, non posse injuriam agere, si in veste meretricali fuerit deprehensa: hujusmodi Clerici, si à Prælati suis tertio commoniti militaria non fuerint arma deponere, de privilegio Clericorum subsidium aliquod habere non debent. Idem habetur in c. contingit, 45. eodem, ubi Clemens III. scribens Episcopo, ait, se intellexisse, insinuante Comite Flandrensi, quod in Flandria quidam Clerici, nec in tonsura, & habitu, nec in negotijs de Clerico quidquam ostenderent; & solum, ut subterfugiant publica judicia, se ut Clericos repræsentent; mandat Pontifex, ut tales, si tertio commoniti se non emendent, immunitatis fori fiant exsortes.

381. Advertendum autem hanc trinam monitionem non requiri, si facta sit una monitio

nitio generalis in Synodo, sub expressâ comminatione, aut pœna privationis privilegij Clericalis: nam ea monitio habet vim constitutionis, ad quam non requiritur trina, & specialis monitio; cum lex semper censeatur admonere, Clarus, *loc. cit. num. 20.* Farinacius *cit. num. 62.* imò juxta P. Wagnereck in exegefi ad dict. c. *in audientia*, post Trid. *cit. sess. 23. c. 6.* non est opus admonitionibus, sed facto ipso, quod aliquis non gestet habitum, & Tonsuram, aut non servit Ecclesiæ, vel non versatur in studijs cum licentia Episcopi, privatus est privilegio Clericali.

383.

Resp. 3. a Clerico, etiam in Sacris, amitti privilegium fori, postquam propter delictum depositus est, propter incorrigibilitatem excommunicatus, & anathematizatus, nihilominus in malicia perseverat, ut dicitur in c. *Cum non ab homine*, II. *de Judicijs*, ibi: *si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet: deinde contumaciâ crescente anathematis mucrone feriri: postmodum verò, si in profundum malorum veniens contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra, quid faciat, ne possit esse ultra perditio plurimorum; per secularem comprimendus est potestatem, ita, quod ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna inferatur.*

384.

Pro intelligentia not. 1. per *anathematizationem*, juxta Doctores hic intelligi execrationem recessivam à corpore status Ecclesiastici, quæ non sit medicinalis, sed purè pœnalis ob incorrigibilitatem. Not. 2. cum hæc privatio privilegij Clericalis ipso facto decretæ sit in pœnam incorrigibilitatis, & perseverantiæ in illa; pœnæ autem ipso facto decretæ in delinquentes non incurrantur ante sententiam Judicis declaratoriam criminis, ut tradidimus l. *1. tit. 2.* nec privationem hujus privilegij ab ejusmodi Clericis incurrere ante declarationem factam ab Ecclesiastico Judice de ipsorum incorrigibilitate; adeoque Judices Laicos, ante hoc, non posse contra illos procedere; id, quod videtur etiam insinuari illis verbis *per secularem comprimendus est potestatem*; & idè etiam dicitur in c. *ut fama tua*, 35. *de sent. excom.* quod Laici, citra excommunicationis sententiam, capere Clericos, & ad judicium trahere possunt, *si oportet*, etiam violenter, dum tamen id de mandato fa-

ciant Prælatorum, quorum illi sunt jurisdictioni subjecti, & quorum est corrigere criminosos.

385.

Dices: in c. *Perpendimus*, 23. *cod.* cum quidam Sacerdos se filium Regis falsò nominans, seditionem fecisset, & à B. Comite justus esset fustigari, ejusque mandato patibulo traditus expirasset; rescriptus Pontifex, *si non propulsando injuriam, sed inferendo fuerit occisus, non esse interfectores pro Absolutione Romam mittendos, sed pro arbitrio Episcopi competentem eis pœnitentiam insungendam.* Ergo etiam absque declaratione criminis incurritur privatio privilegij Clericalis; aliàs enim dictus Comes, qui eum Sacerdotem fustigari, ac suspendi curavit, incurrisset excommunicationem latæ sententiæ, pro cujus Absolutione impetranda ad eunda fuisset Sedes Apostolica. Respondet Pirrhing hic *num. 99. in fin.* ibi non esse sermonem de privilegio fori, sed canonis, quod facilius amittitur, quàm illud, quia est inferioris ordinis, sic etiam tenente Suarez *D. 22. de Censur. sect. 1. n. 13.*

386.

Cæterum, cum dictus Sacerdos fuerit iniquus invasor, & ut occideretur, necessarium fuerit ad defendendam publicam quietem, censet Wagnereck in exegefi ad dict. c. *perpendimus*, justè occidi potuisse, quod immiscendo se enormitatibus, eo ipso Privilegium Canonis amiserit. *Enormitatibus* autem se immiscere dicitur, qui facit seditionem, aggressiones, prælia, tumultus in populo, juxta Bellef. *disquisit. Clerical. p. 1. tit. de favore Cleric. Canon. §. 2. à num. 41.* ex quo Barbosa in dict. c. *perpendimus*, *num. 2.* ad quæstionem: *quarè facilius perdatur Privilegium canonis, quàm fori*; eam rationem assignat, quia illud indultum est à jure positivo, hoc autem à jure divino, ex c. *quanquam de Censib. in 6.* idem tenentibus Zaburella, Socinat. & alijs ibid. relatis; quamvis dici possit, privilegium canonis non extendi ad casum, ubi defensio jure naturali permittit mortem injusti aggressoris concedit.

387.

Resp. 4. velle aliquos à Clerico, etiam in Sacris constituto, amitti Privilegium Canonis, & fori, si dimisso habitu Clericali enormitatibus se immiscet, seu multa enormia delicta committit, & hoc, ipso jure; sic Julius Clarus *cit. num. 23.* & alijs;

& alij; quidam censent id procedere, post trinam Episcopi monitionem non curatam; sic Barbofa l. 1. juris Ecclesiastici, c. 39. §. 2. num. 71. sed hoc nullo jure probatur; dictum enim c. *perpendimus* (in quo habetur præsens casus) solum loquitur de privilegio *canonis*, non *fori*; id, quod advertit etiam Bellet. supra citatus, dicens, quod licet Clericus se immiscendo enormitatibus perdat privilegium canonis; non tamen perdat privilegium fori; cum quo eodem modo intelligunt textum c. *perpendimus*, Marta de *jurisdic. p. 1. casu 135. n. 5.* Coninch de *Sacram. & censur. D. 14. d. 11. n. 160.* & complures alij.

§88. Resp. 5. perdi privilegium fori à Clericis, qui per annum continuum personam histronis, aut mimos agunt, ex c. *unic. de vita, & honest. Cleric.* ibi: *Clerici, qui Clericalis Ordinis dignitati non modicum detrahentes, se joculariores, seu goliardos faciunt, aut bufones: si per annum artem illam ignominiosam exercuerint, ipso jure: Si autem tempore breviori, & tertio moniti non respuerint, careant omni privilegio Clericali.* Dixi per annum continuum. Nam ubi jus apponit tempus, intelligitur de continuo juxta Gutierrez *Canon. l. 1. c. 12. num. 25.* & not. textum expressè loqui de exercentibus *artem ignominiosam*, & dignitati Ordinis Clericalis non parum detrahentem; undè meritò procedit dictum c. *unicum* de omnibus illis Clericis, de quibus S. Gregorius Papa *homil. in c. 10. Joan. Sacerdotum vita, quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reprobata; ecce jam penè nulla est secularis actio, quam non Sacerdotes administrent, ingenti sanè dedecore tam sublimis, & Sancti Statùs.*

§89. Resp. 6. amitti etiam privilegium fori per crimen assassini, prævia tamen declaratione per Judicem Ecclesiasticum de tali crimine admisso; ex c. 1. de *homicid. in 6. §. fin.* ibi: *Sacri approbatione Concilij statuimus, ut quicumque Princeps, Prælati, seu quavis alia Ecclesiastica, secularisve persona, quempiam Christianorum, per prædictos assassinos interfeci fecerit, vel etiam mandaverit (quanquam mors ex hoc forsitan non sequatur) aut eos receperit, vel defenderit, seu occultave-*

Tom. II.

rit, excommunicationis, & depositionis à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrat sententias ipso facto: & illa liberè alijs per illos (ad quos eorum collatio pertinet) conferantur, sit etiam cum suis bonis omnibus tanquam Christianæ Religionis æmulus, à toto Christiano populo perpetuò diffidatus.

Ubi nota, quod licet olim *assassini* propriè dicebantur quidam infideles sub Principe pariter infideli, à quo ita edocti, & instructi erant, ut quos ille occidi jufferit, facillimè occidant, arbitantes ex hoc mortem non esse timendam, nec ullam poenam ob istud crimen post obitum passuros, imò se obsequium præstare Deo opinabantur, ut observant Covarruvias l. 2. *Var. c. 20. n. 10.* Zerol. V. *assassinus, in princ. Gutier. q. 7. n. 2.* Cardos. V. *assassinus, num. 1.* hodie tamen, & spectatà intentione Pontificis in dict. constitutione, communi Doctorum interpretatione, & in praxi receptum esse, ut *assassini* jam dicantur, quicumque pecunià, aliove pretio conducti homines occidunt, percutiuntvè, nihil tale ab ijs præcaventes. Hinc in illis verbis (quicumque quempiam Christianorum per *prædictos* assassinos interfecerit) ly *prædictos*, non appellat supra assassinos, in quantum *infideles*; sed in quantum *pecunià conducti* committunt tam enorme scelus, in detrimentum non modò corporum, sed etiam animarum, pretio Christi Sanguinis redemptarum, in opprobrium dignitatis Christianæ.

Quoniam verò num. 221. diximus, Clericos, post trinam monitionem incorrigibiles, tradendos potestati seculari, ut per eam coërceantur, notandum, ut hoc contingat, requiri, declarationem incorrigibilitatis faciendam ab Ecclesiastico Judice. Nemo enim afficitur poenà, etiam ipso jure latà, nisi prævià declaratione causæ, propter quam poenà fertur, ex dict. *lib. 1. tit. 2. de Constitut.* sed incorrigibilitas in dato casu est causà, propter quam in poenam Clericus privatur privilegio fori; ergo.

Not. præterea, si delictum Clerici cum Laico, quoad cognitionem causæ separari possit ita, ut cognoscendo de delicto Clerici, Judici seculari cognoscenti seorsim de hoc, opus non sit, eidem sisti Clericum, probabiliter affirmari, Judicem

P

Lai;

Laicum posse tali casu judicare, ac punire delictum Laici complicit delicti, quin aliquid per hoc agat contra privilegium fori, concessum statui Clericali; id, quod fusè defendit Haunoldus *rom. de Jure, & Just. tr. num. 291.*

Not. 2. Clericum in flagranti crimine (Adulterij; furti &c.) deprehensum, à Judice Laico) non suâ, sed præsumptâ Judicis Ecclesiastici autoritate) posse capi (quod etiam procedit, si suspectus sit de fuga) ea tamen lege, ut, cum primum commodè potest, sistat Judici Ecclesiastico; quia consensus Judicis Ecclesiastici, quoad illum actum capiendi, suppositis illis circumstantijs; non autem quoad actum detinendi, meritò præsumi potest.

§. III.

An privilegium fori, vel ex parte, tolli possit renuntiatione, consuetudine, vel prescriptione?

393. **A**D I. Resp. negativè, sive renuntiatione sit expressa, sive tacita; probatur I. ex c. *si diligenti*, I 2. h. t. ibi: *manifestè patet, quod non solum inviti, sed etiam voluntarij pacisci non possunt, ut secularia judicia subeant, cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiare valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico sit publicè indultum: cui privatorum pacto derogari non potest. Nec juramentum licitè servari potuit, quod contra Canonica statuta illicitis pactioibus informatur.* Deinde, ex c. *Et si Clerici* 4. de *Judicijs*, ibi: *et si Clerici coram seculari Judice convicti fuerint, vel confessi de crimine, non sunt propter hoc à suo Episcopo aliquatenus condemnandi. Sicut enim sententia à non suo Judice lata non tenet, & ita confessio coram ipso.*

394. Dices: Marcellinus Pontifex, ut habetur I 1. q. 1. c. *Clericum*, 3. constituit, quòd Clericum, cujuslibet Ordinis absque Pontificis sui permissu nullus præsumat ad *secularem Judicem* attrahere: nec Laico quemlibet Clericum liceat accusare; ergo de *consensu sui Pontificis*, seu Episcopi, potest; & in CC. Agathensi, c. 32. (quod refertur I 1. q. 1. c. *Clericum* 17.) legitur: *Clericum nullus præsumat apud*

secularem Judicem, Episcopo non permitte, pulsare: sed, si pulsatus fuerit, non respondeat, vel proponat: nec audeat criminale negotium in seculari judicio proponere; ergo saltem cum licentia sui Episcopi Clericus renuntiare poterit privilegio fori. Sed Resp. 1. esto valeret illatio vi antiquorum Canonum; hodie tamen nullam esse, vi constitutionum Recentiorum, præsertim ejus, quam retulimus n. *præced. ex c. si diligenti*. Resp. 2. eos Canones loqui de consensu Episcopi, fundato in consensione Summi Pontificis; non autem hoc secluso; tum propter clarum textum in c. *si diligenti*; tum etiam, quia nullus inferior concedere potest, quod lege Superioris interdictum est.

Ad 2. Resp. nec vi ullius consuetudinis, à Laicis introductæ, *secluso consensu Summi Pontificis*, posse quicquam de Immunitate Ecclesiastica diminui. Nam contra id, quod est juris divini, nihil potest consuetudo humana, quantacunque autoritate suffulta, ut ostendimus *lib. 1. n. 1639. 1762. 1767.* sed consuetudo Laicorum diminuens Immunitatem Ecclesiasticam secluso consensu Summi Pontificis, est contra Immunitatem Ecclesiasticam, & contra id, quod est juris divini, ut probavimus *lib. 1. à num. 640.* & constat ex c. *quanquam*, 4. de *Censibus*, in 6. ibi: *cum igitur Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum, non solum jure humano; quin imò, & divino sint immunes &c. his porrò, quæ in contrarium communiter adducunt Laici, ac Patroni oppositæ sententiæ, respondimus lib. 1. loc. cit.* Accedit, quòd nulla consuetudo, abrogativa, vel diminutiva legis præexistentis, & acceptata induci possit legitimè, sine expresso, aut tacito, vel legali consensu ejus, qui talem legem condidit; ut probavimus *lib. 1. à num. 1683.* At hoc non habent illi, qui se tuerentur consuetudine etiam immemorabili; cum talis consuetudo constanter reprobetur à Legislatore Ecclesiastico, tanquam corruptela, & consuetudo perverfa, ut constat ex pœnis in ea statutis dict. c. *quanquam*, §. *Volentes*; & Bullâ cœnæ, quæ annis singulis noviter promulgatur; ubi decimo quinto loco excommunicantur, qui prætextu *cujusvis consuetudinis*, atque a-

ded etiam immemorialis, immunitatem Ecclesiasticam contra Juris Canonici dispositionem, directè, vel indirectè, etiam in aliquo tantùm lædunt, deprimunt, vel quovis modo restringunt; de quibus V. Castropal. de Censuris D. 3. p. 16. & seqq. Ex quo etiam patet ad 3. de præscriptione; nam & hæc foret ejusmodi immunitatis læsiva, diminutiva, vel restrictiva.

ARTICULUS. VI.

De criminibus mixti fori.

396. **C**Rimen mixti fori est illud juxta Benedictum Pereyram in appendice Elucidarij num. 1956. quod pertinet ad utrumque forum, nimirum Laicum, seu Seculare, & Ecclesiasticum, ita, ut de illo crimine possit cognoscere Judex, vel Laicus, vel Ecclesiasticus, datâ præventione, quæ scilicet datur, quando alter ex dictis Judicibus cepit prior cognoscere. Unde illa præventio & quædam anticipatio cognitionis, quæ impedit, ne alter se intromittat. Cum enim prævenire apud Latinos sit venire, antequam alter veniat, sic apud Juristas est præoccupare causam, seu venire ad illam, antequam alter Judex veniat. Unde etiam Soncinas in c. 14. de foro compet. apud Haunoldum tom. 5. de Justit. tr. 1. n. 322. præventionem, ait, esse jurisdictionis approbationem sibi soli in aliqua causa (hoc est, æquè immediatè) quæ pluribus competit; quibus positis:

q. 1.

An causa adulterij sit mixti fori?

397. **C**ognitionem causæ de adulterio spectare ad forum Laicum, colligi potest ex toto titulo C. ad Legem Juliam, de adulterijs; præsertim L. 30. ubi agitur de his, quibus licet adulterum accusare; sed de his egimus l. 4. tit. 19. de Divorcijs; & lib. 1. tit. 9. de Adulterijs; esse etiam fori Ecclesiastici, constat ex lib. 5. tit. 9. & c. Gaudeamus, 19. de convers. conjugat. ibi: mulieres verò, quæ relicto maritali thoro, lapsu carnis ceciderunt, si ma-

Tom. II.

riti earum à te diligenter commoniti, eas ad frugem melioris vitæ conversas noluerint recipere propter Deum, in claustris cum religiosis mulieribus studeas collocare, ut perpetuam penitentiam ibi agant, quibus positis:

398. **Q**uæstio est. 1. an, cum innocens agit de adulterio contra Reum, possit eum citare ad utrumque Judicem ex his, quibus competit jus præventionis? Resp. de hoc casu agi c. fin. de Rescript. ubi dicitur, quòd, si quis alium super uno negotio, vel pluribus personalibus actionibus, quæ sub uno Judice possent tractari commodius, per varias litteras ad diversos Judices trahat, litterarum commodis careat, & ad expensas, quas propter hoc Adversarios tulisse constiterit, condemnnetur; ubi nota, quòd quamvis talis perdat commodum litterarum ex tali abusu; non tamen perdat causam; cum de hoc nihil exprimatur: & licet hic fiat mentio solum de actionibus personalibus, non autem realibus; si tamen in his etiam militet eadem ratio, quæ in textu assignatur pro personalibus (nempe ut vocatus ad diversos Judices laboribus fatigatus, & sumptibus, vel compellatur componere, vel cedere juri suo) censet Panormitanus ad cit. c. fin. n. 12. idem dicendum etiam in realibus; quem sequitur Wagnereck ibid. q. super uno negotio, saltem quoad observationem; hoc enim sine fatigare Adversarium, naturali lumini contrarium videtur.

399. **Q**uæstio altera est, an, quando solum civiliter agitur contra adulterum, nimirum ad separationem thori, & jacturam dotis, quæstio hæc sit mixti fori consequenter sit locus præventioni? 2. quid, si agatur criminaliter, nimirum ad vindictam publicam? Ad 1. in hoc num. Resp. remissivè ad lib. 4. decret. ubi ad 1. diximus negativè; ad 2. affirmativè; hujus ratio sumitur ex c. Tuæ Fraternitati, 5. de Procuratoribus, ubi, cum hoc Brixinensis Episcopus Innocentio III. proposuisset, idem illi sic respondit: quòd, si vir accusat Uxorem de crimine Adulterij coram Judice seculari ad pœnam legitimam infligendam (quia tunc inscriptionis vinculum debet arripere, seque ad pœnam talionis astringere: non per procurato-

P 2 rem,

rem, sed per ipsum præsentem oportet præsentialiter accusare. Si verò vir accusare velit Uxorem de adulterio coram Ecclesiastico Judice, ut ab ejus cohabitatione discedat, quia tunc etsi forsitan oporteat eum inscribere, ut designet in scriptis Nomen, locum, & tempus, & omnia, quæ comprehenduntur in lege civili: *ad talionem tamen non debet se aliquatenus obligare: ne fortè cum in probatione defecerit, intentionis suæ consequatur effectum*: sustineri potest, si necessitas id postulaverit, ut per Procuratorem accuset; quoniam hujusmodi accusatio, etsi de crimine fiat, non est tamen criminalis, sed quasi mixta inter civilem, & criminalem, quanquam in præsentia principalium personarum securius procedatur.

400.

Ex hoc textu deducitur, quando causa adulterij *criminaliter* accusatur, proponendam coram Judice seculari; si *civiliter*, coram Ecclesiastico: adeoque quæstionem super delicto adulterij solum civiliter intentata ad separationem thori, vel amissionem dotis, non esse de causa mixti fori; colligitur ex cit. textu, & c. *adhæc* 1. ut lite non contestatâ, ubi habetur, quòd si agatur de adulterio *ad separationem thori* (non ad pœnam capitalem, vel Sanguinis) & ante litis contestationem Reus est contumax, *possit excommunicari*, non tamen testes recipi, vel causa definiri; & ita tradit D. Thomas in 4. dist. 35. q. unica, a. 3. ad 5.

401.

Dices: in dict. c. *Tuæ*, §. de Procurat. non dicitur, quòd Vir coram Judice Ecclesiastico *debeat* Uxorem adulteram accusare, quando agit, ut ab ejus cohabitatione discedat, sed tantum, quòd, si *velit* accusare Uxorem de adulterio coram Judice Ecclesiastico, ut ab ejus cohabitatione discedat, non teneatur se tunc ad talionem obligare; ergo non rectè probatur, quòd, quando Vir ex adulterio agit *civiliter* ad divortium thori, *debeat* causam proponere solum coram Judice Ecclesiastico; licet *possit*; adeoque ejusmodi quæstionem non esse mixti fori. Et ideò Barbosa in dict. c. *Tuæ*, num. 2. de adulterio, inquit, ad pœnam Sanguinis imponendam, solus Judex secularis est competens, quoad alias verò pœnas est mixti fori, ac subinde datur locus præ-

ventioni. V. Covarr. de Sponsal. p. 2. c. 7. §. 7. num. 12. Clarus §. fin. q. 37. n. 3. vers. *quero nunquid causa.*

Resp. verum esse, quòd dicatur *expressè*, quòd Vir tali casu *debeat* causam divortij proponere solum coram Judice Ecclesiastico; verum tamen etiam esse, id in eodem textu supponi; & ab ipso etiam Barbosa in dictum c. 5. num. 4. tradi, cum ibi apertè dicat: Judex Ecclesiasticus solus est competens ad cognoscendum de adulterio, ut ratione illius divortium celebretur; cujus ratio est; quia, eum divortium solvat innocentem à vinculo, quod nascitur ex Sacramento connubij, quo Conjuges obligatione mutua tenentur cohabitare, & usum etiam conjugalem alter alteri concedere; sicut ob rationem Sacramenti ad solam Ecclesiam spectat cognoscere, & authoritative *conservare* individuum nexum matrimonij; ita ad eundem solum pertinebit de causis ejus *dissolvendi* iudicium ferre, ut ostendimus l. 4. decret. à num. 1652. & ita præter citatum D. Thomam, censet Sanchez l. 10. Matrim. D. 8. a. 15. Layman, l. 4. Theol. moral. tr. 9. c. 2. num. 5. & complures alij.

Hac occasione dicti c. *Tuæ*, colliges; quando maritus accusat Uxorem adulteram *criminaliter* (nimirum ad pœnam legalem, sex Sanguinis) id ab eo debere fieri personaliter, non per Procuratorem; cum teneatur ad pœnam talionis i. si autem coram Ecclesiastico solum *civiliter* ad divortium, non teneri se obligare ad pœnam talionis, & posse per Procuratorem; cujus ratio datur in textu, *ne fortè, cum in probatione defecerit, intentionis suæ consequatur effectum*; nimirum, ne, si fortassis hac viâ se ab Uxoris cohabitatione liberare intenderet, & per falsam accusationem non obtineret, alterâ per talionem consequeretur. Coll. 2. non omnem accusationem de crimine, esse *criminales*, ut apertè deducitur ex dict. c. *Tuæ*, ibi: quoniam hujusmodi accusatio (nimirum de adulterio Uxoris, ut ab ejus cohabitatione discedat maritus) *etsi de crimine fiat, non est tamen criminalis*; sic Innocentius III. ad Episcopum Brixinentem, ut habetur in c. *Tuæ* §. de Procuratorib. cujus verba dedimus supr.

Ex

404. Ex dict. Coll. 3. si lite coram seculari Judice mota, de alimentis præstandis Uxori separata à Marito, Maritus opponat adulterij Crimen, ob quod mulier jure alimentorum privata sit, Judicem secularem lite supersedere debere, donec quæstio incidens à Judice Ecclesiastico terminetur; hujus ratio est; quia hoc ipso, quod intentata coram seculari Judice causa, super alimentis incidat quæstio divortij, seu separationis quoad cohabitationem, illa terminari nequit, antequam cognoscatur super justitia causæ divertendi, seu discedendi à cohabitatione; hoc enim sonat incidentia causæ, cum respiciat ipsum meritum causæ, & habeat ortum ante litem contestatam, ut bene notat Pereyra in Elucidario num. 1867. sed hæc quæstio cognosci non potest à Judice seculari, & terminari potest à solo Ecclesiastico ex num. 402. ergo.

405. Quæstio 4. est, an finito judicio criminali de adulterio ad pœnam legalem, innocens possit instituere actionem quasi civilem ad divortium, vel e contra finito judicio divortij eandem actionem intentare criminaliter? ante resolutionem nota, quod licet utraq; actio (nimirum sive criminaliter, sive civiliter intentata Reo) tendat ad punitionem (licet criminalis ad pœnam, seu vindictam publicam; civilis, ad privatam, nimirum dotis amissionem, & separationem ab obligatione cohabitandi) quandoque tamen actio civilis directè intentari possit Reo, non, ut inde innocens capiat lucrum; sed solum, ut evitet damnum; his præmissis:

406. Ad quæstionem propositam Resp. post judicium criminale ad punitionem legalem, seu vindictam publicam, non concedi actionem civilem directè ad pœnam privatam; nec vicissim, finito judicio directè ad punitionem privatam, concedi actionem criminalem ad pœnam legalem; ita Sotus l. 4. sent. D. 37. q. unic. a. 3. Abbas inc. Tua, 5. de Procurat. n. 5. & complures alij; probatur ex L. quod Senatusconsultum, 6. ff. de injuriis, ibi: *planè si actum sit publico judicio, denegandum est privatam; similiter ex diverso.*

407. Dixi, per actionem quasi civilem directè ad pœnam privatam, impediri a-

ctionem criminalem ad pœnam legalem, seu vindictam publicam, & e contra: nam secus est, si maritus post, vel cum actione criminali de adulterio contra Uxorem directè agat de solo interesse, seu jactura rei familiaris compensanda. Nam talis actio civilis non præjudicat criminali; nec ista illi, ut tradit Julius Clarus in pract. criminal. q. 2. num. 2. Molina tr. 3. de Just. D. 40. n. 19. & probari potest ex L. unica, C. quando civilis actio criminali præjudicet; ibi: *à plerisque prudentium generaliter definitum est, quoties de re familiari, & civilis, & criminalis competit actio, utraq; licere experiri: sive prius criminalis, sive civilis actio moveatur: nec si civiliter fuerit actum, criminalem posse consumi: & similiter e contrario.*

§. II.

An causa Blasphemie sit mixti fori?

408. Ante resolutionem nota, *Blasphemiam*, de qua latè Suarez tom. 1. de Relig. l. 1. à c. 4. esse vocem Græcam, quæ apud Latinos idem valet atque vituperatio, execratio, maledictio: apud Theologos autem, & S. Paginæ interpretes sumi dupliciter. 1. latè pro omni convitio, & maledictio in aliquem, præcipuè dignitate, & excellentia pollentem virum; Sic intelligit S. Hieronymus Apostolum ad Titum. 3. *admone illos, neminem Blasphemare*, id est maledicere, convitiari; 2. strictè, & propriè pro contumelia in Deum, vel Sanctos in Cælo cum Christo regenerantes, quatenus habent respectum ad Deum, quæ proinde tota in Deum refunditur.

409. Sanchez l. 2. Decalogi c. 32. n. 11. definit *Blasphemiam*, quod sit locutio falsa contra Deum per modum convitij. Dicitur *falsa*; quia licet quandoque exerceatur per modos imperativos, & optativos, in quibus nec enuntiatio, nec proinde falsitas esse potest; tamen semper ex modo irrisorio, vel contemnenti denotat aliquid in Deo contemptibile, quod falsum est: explicatius dici potest, *esse peccatum, quo aliquid de Divina bonitatis excellentia detrahitur, dicendo falso aliquid Deo inesse, quod non inest: vel negando inesse,* quod

quod inest: idque voluntate quadam derogandi hac ratione Divina bonitati, vel Majestati.

410. Observandum autem ad hanc voluntatem non requiri omninò intentionem directam derogandi, qualem habent damnati, sed sufficere indirectam, quando scilicet ex circumstantijs, & modo prudenter judicatur, locutionem habere Divinæ gloriæ contemptum, & diminutionem. *Blasphemia* latius patet peccata contra fidèi confessionem, & distinguitur ab infidelitate: hæc enim in mente refidet, & est falsus mentis contra fidem assensus: illa consistit in verbo contra Deum, & potest stare cum vero assensu.

411. Observandum. 2. quasdam *Blasphemias*, juxta Sanchez *cit. n. 36.* esse *hæreticales*, nempe quæ continent errorem contra fidem, explicatæ per verbum indicativi: v. g. hæc: *Deus est injustus*; quasdam non ita; quales v. g. Dei maledictiones: essent tamen hæreticales, si Blasphemans assereret, *Deum esse illarum capacem*. Observandum. 3. *Blasphemiam* in sua pura ratione tripliciter dividi juxta Lessium *l. 2. c. 45. n. 27.* Primò enim dividitur ex parte actus in *interiorem*, & *exteriolem*: interior est *Blasphemia Cordis*: exterior est *Blasphemia oris*: addunt aliqui *Blasphemiam operis*, quando scilicet per aliquod opus v. g. *Idololatriam*, falsum de Deo significatur. 2. ex parte modi, in *enuntiativam*, *imprecativam*, & *dehonestativam*. *Enuntiativa* fit affirmando, vel negando: ut si tribuatur divinæ excellentiæ, quod ei non competit; vel, si negetur, quod competit, aut hoc tribuatur Creaturæ. *Imprecativa* est, cum quis imprecatur Deo malum; & est propria damnatorum, & hominum pessimorum. *Dehonestativa* est, cum quis membra Christi, vel Sanctorum indecore, & inhonestè nuncupat; 3. ex parte termini in *immediatam*, & *mediatam*: *immediata* est, quæ fertur immediatè in Deum, & est proximè contra virtutem religionis: *mediata* est immediatè contra Sanctos, violatòque proximè virtutem observantiæ: *mediatè* est contra Deum, & remotè lædit virtutem religionis; quibus positis:

412. Resp. *Blasphemiam hæreticalem* (quando scilicet verba *Blasphemix* continent a-

perè hæresim) unice spectare ad Judicem Ecclesiasticum; nam iudicium de actione continente veram hæresim, cum præsumatur animo hæretico proferri) nisi excuset vehemens iræ motus, quo iudicium rationis vehementer perturbatur) unice spectat ad Judicem Ecclesiasticum, cum tangatur materia fidei; & ideò talis *Blasphemia* non est mixti fori quoad quæstionem, *an ejusmodi Blasphemia sit hæreticalis?* secus est de *Blasphemia* non hæreticali; nam hæc utroquè foro prohibita est; Ecclesiastico quidem, *l. 5. tit. 26.* civili autem, *Novellâ. 77.* ut non luxurentur homines contra naturam, nec jurent per capillos Dei, &c.

Si quæras, an *Blasphemia* commissa à non Christiano, sit delictum fori mixti? Resp. per se loquendo, non esse; quia, cum non Christiani sint extra Ecclesiam, nec subdantur ejus legibus, ut diximus *l. 1. tit. 2.* non possunt per se loquendo reduci ad forum Ecclesiasticum; sed tantum ad forumulare, cujus temporali jurisdictioni subfunt; dixi: *per se loquendo*; nam, si Princeps, vel Prælati Ecclesiastici ibi habebat dominium, ut Dominus terrestris, eique tales non Christiani subfunt, idem poterit, quod alius secularis, vel per se, vel Delegatum; 2. si Domini seculares forent negligentes in puniendis ejusmodi delictis; sic enim per accidens, Judex Ecclesiasticus, etiam quæ talis, posset de tali *Blasphemia* cognoscere, ac illam punire; cum tali casu veretur periculum animæ, tum in Principe negligente; tum in Christianis, qui exinde graviter scandalizentur.

§. III.

An Incestus sit mixti fori?

DE Incestu ex professo agimus *l. 4. tit. 13. à num. 1137.* præsertim quoad quæstionem, an, & qualiter incestuosus præstet impedimentum matrimonij contrahendi; aut, eo stante, contracti; ex hoc autem deducitur, hoc crimen esse fori Ecclesiastici; quamvis etiam puniatur jure civili (ex quo tandem fit, esse mixti fori) ut constat ex Authent. *Incestus*, de de incestis nuptijs, ibi: *incestus nuptias contrahentis pæna, est confiscatio bonorum*

nam caterorum, quam dotis, &c. & L. 38. ff. ad leg. Juliam, de adulter. ibi: si Adulterium cum incestu committatur, ut puta cum privigna, nuru, noverca, mulier similiter quoque punietur: id enim remoto etiam adulterio eveniret.

415. Advertendum tamen, ex hoc, quod aliquod crimen, vel causa, sit mixti fori, non rectè deduci, quamlibet quæstionem, quæ circa tale crimen, vel causam moveri potest, esse mixti fori; ostenditur hoc ipsum in causa præsentis de incestu. Nam, si circa hoc crimen moveatur quæstio, an incestuosi validè, an licitè contraxerint, vel contrahere possint; dubitatione mota de impedimento, an incestus illis hoc, vel impediens tantum, vel etiam dirimens præstet? quæstio est fori tantum Ecclesiastici; si autem nascatur quæstio, an qui contraxerunt nuptias incestas, incurterint penas quoad jacturam rerum temporalium, v. g. bonorum confiscationem, est fori solum Laici, nisi moveatur alia quæstio (quam dicunt *incidentem*) quæ prius per Judicem alterius fori definienda sit.

§. IV.

An causæ Matrimoniales sint mixti fori?

416. SI loquamur de causis pertinentibus ad substantiam Matrimonij, non est dubium, eas pertinere ad solum forum Ecclesiasticum, per canon. 12. Concilij Trid. sess. 24. de Matrim. ibi: si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit; de quo plura diximus l. 4. decretal. à n. 1652. & de hac quæst. etiam agitur in Trident. sess. 24. de Reform. c. 20. ibi: causæ matrimoniales, non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, sed tantum Episcopi examini, & jurisdictioni relinquatur; ex quo sequitur solum Episcopum, ejusque Vicarium Generalem, ex propria, & ordinaria jurisdictione de causis illis judicare. Ex hoc nascitur quæstio, an si alicui à Summo Pontifice delegetur cognitio causæ matrimonialis, possit eam subdelegare? Ratio negandi sumitur ex c. si pro debilitate, 3. de offic. Jud. deleg. ibi: si pro debilitate, vel pro

qualibet alia gravi causa, vel necessitate tractandis causis, quæ tibi à Sede Apostolica committuntur, interesse non poteris: liberum tibi sit personis discretis, & idoneis vices tuas committere, ita tamen, quod, si res tanti est, consulere te debeant; nisi forte causæ ita graves sent, quod sine præsentia tua non possent commodè terminari, in quem textum glossa ibidem ait: gravia negotia debet quis per se tractare, & non per Procuratorem; sed cognitio causarum Matrimonialium est grave negotium, saltem in multis quæstionibus; at hoc explicari potest, ut procedat in casu, quo sine personali præsentia Ordinarij, non tam commodè negotium tale posset expediri, ut notatur in-textu; hodie autem, post tam multos doctissimorum Jurisperitorum Commentarios in eam quoque materiam, plerumque sine Ordinariorum præsentia, expediuntur ejusmodi causæ; præsertim, si ante sententiam, eorum judicium ad Ordinarium referendum sit.

Quoniam autem frequenter contingit, quod pendente lite (v. g. petita hæreditatis) coram Judice seculari, quæstio incidat circa Matrimonium, sine qua prius definita Judex secularis causam principalem definire non potest; dubitari potest, an ejusmodi causa cognosci possit à Judice Laico? & consequenter causæ Matrimoniales, saltem in quæstione incidenti, sint mixti fori? Ante resolut. not. si contingat casus, quod Titius coram seculari Judice petat sibi hæreditatem (v. g. Caij, vel Bertæ) dicens se utriusque filium; illi autem opponatur, quod non sit legitimus, vel non sit filius, seu ex illis natus, aut aliud quid simile; posse dubitari, an in dato casu, ut Judex Titio concedat, vel neget hæreditatem, necessariò prius terminanda, sit quæstio illa incidens, an sit eorum filius? an; si verè sit, sit legitimus?

Not. 2. Quæstionem, quæ incidit, dum coram Judice tractatur negotium principale, posse versari, vel circa *ius*, vel circa *factum*. Nam, si pars excipiens, vel opponens solum illegitimitatem, se fundaret in eo, quod quidem natus sit ex Conjugio inter Caium, & Bertam, sed irritò, & nullo, quæstio esset juris, an eorum Matrimonium fuerit validum, nec

nec ne? si in eo, quod non sit natus ex illis, vel non ex Conjugio inter ejus parentes inito, quæstio esset facti, an sit ex eis natus, vel an illi Matrimonium iniverint? Not. 3. quæstionem moveri posse de ipso facto, vel præcisè (nimirum de Matrimonio inito, & nullo alio, an jure? an mero facto?) vel prout includente, aut dependente ab alia quæstione juris; ut si dicatur, Matrimonium inter eos non esse celebratum in ætate nubili; &c. quibus possitis:

419. Reip. quando incidit quæstio juris de valore Matrimonij causâ super temporali (successione hæreditariâ v. g.) coram Judice seculari pendente, quæstionem incidentem non esse fori mixti, sed pertinere ad solum Judicem Ecclesiasticum, ex n. 415. & constat ex c. Tuam 3. de ordine cognitionum, de quo ex professo agimus tit. 10. à n. 874. quod etiam dicendum venit de quæstione facti, in quantum includit, aut dependet ab ejusmodi quæstione juris; sic enim & hæc prius definienda est à Judice Ecclesiastico, quàm Judex Laicus procedat ad quæstionem facti resolvendam, includentem, vel dependentem à quæstione juris pertinentis ad substantiam, seu valorem Matrimonij: at ubi est quæstio facti præcisè, v. g. an illi parentes nuptias habuerint? an ex illis Titius natus sit? an sit suppositivus? &c. cum hæc sit mera quæstio facti, nihil attingentis de jure spirituali, de hac quæstione cognoscere, judicare, vel pronuntiare, nullo jure prohibetur Judex secularis.

420. Quod hoc casu annotavimus, advertendum est in alijs obvenientibus. Nam si separato v. g. Conjugio quoad thorum apud Judicem secularem quæstio moveatur de restituendis mulieri bonis e. g. paraphernis, morgengeba, &c. ubi nulla incidit quæstio pendens à valore Matrimonij, aut divortij legitimè facti, causam directè cognoscere, ac terminare, erit solius Judicis secularis; si secùs, solius Ecclesiastici; ex quo fit circa eandem rem (ut ostendimus hic de præmissis causis, vel criminibus) posse moveri diversas quæstiones, quarum aliquæ non sint mixti fori; sed hæc, fori Ecclesiastici; aliæ secularis tantum. Hinc Lancellotus in tr. de attentatis p. 2. c. 12. limitat. 24.

existimat, Judicem secularem non posse redargui de attentato, si, pendente litè Matrimoniali, alimenta Uxori interim à Viro præstanda decernat; extra potestatem tamen suam ageret Judex secularis, si per Judicem Ecclesiasticum latâ sententiâ, ut Uxor redeat ad Virum, à quo se separaverat ex causa reprobata per illum Judicem, Uxori contumaciter perseveranti in recessu à Viro, hunc ad alimenta nihilominus præstanda cogeret.

§. V.

An, & qualiter causa juramenti sit mixti fori?

421. Non est dubium, utrumque forum Nagere de juramento, vel observando, vel alijs effectibus juris exinde nascentibus, quod dispositioni alicui, vel contractui adjectum sit juramentum. Hinc in Jure Canonico extat integer titulus 24. de jurejurando, hoc lib. 2. cum sit res, ad salutem animæ pertinens. Similiter in jure civili agitur, qualiter pacta firmentur, vel non firmentur, aut etiam vestiantur juramento? statuuntur poenæ perjurij; exigit juramentum à testibus; defert jusjurandum partibus, & coram se deponi permittit; ex quo communiter deducunt Authores, causam juramenti esse mixti fori.

422. Quia tamen etiam Judex secularis, ubi agitur de vitando peccato (v. g. ne Deus vocetur in testem falsi, etiam de se levis; nam hoc ipsum ex genere suo mortale est) ubi tale periculum subest, de juramento cognoscit, judicare debet secundum Sacros Canones, quorum propriè est tractare de pertinentibus, vel avertentibus à salutè animarum, qualiter id contingit per grave peccatum; & ad hoc per censuras Ecclesiasticas compelli potest; c. Licet. 2. de jurejurand. in 6. ubi cum accidisset, ut tamen mulieres alienationibus dotium, aut donationum propter nuptias se non contraventuras jurârint, nec vi, nec dolo adductæ; nihilominus apud seculares Judices audirentur; hoc audito, Bonifacius VIII. mandat, ut Judices per locorum Ordinarios sub censura adigantur ad observandum Jus Canonicum, quo decernitur, ut tale mulierum juramentum obliget; ita enim

enim res postulat, ut animarum periculis obvietur.

423. Ex hoc casu deducitur, quod Judex Ecclesiasticus Ordinarius possit, & debeat compellere Judicem Laicum, ut seruet Jus Canonicum; quamvis sit contra Jus Civile, quando intervenit peccatum, v. g. si vir vendat rem dotis, vel datum propter nuptias, Uxor consentit, & jurat non contravenire huic alienationi, & hoc sine vi, & dolo, de Jure Civili potest contravenire, de Jure Canonico non potest, in hac causa Judex est compellendus, ut servet Jus Canonicum; sic Vivianus in Rationali l. 2. pag. 236. & alij. Deducitur 2. quod contractus quilibet, quantumvis invalidus, juramento firmetur, per Covarr. in c. *quamvis pactum*, p. 2. q. 1. n. 6. Surd. de aliment. tit. 8. privil. 56. n. 42. Sed circa hoc mota, id procedere, dum jure solum humano irritus est; 2. de firmitate, ex vi Religionis; an etiam in vi pacti, & justitiæ? diximus negativè lib. 3. tit. 35. de Pactis. Unde Layman in dict. c. *Licet*, rationem, & decisionem hujus capituli solum ostendere, inquit, quod Judex secularis pronuntiare debeat, juramentum obligare ex virtute Religionis, ideoque mulieri concedendum non esse, ut alienationem adversus juramentum suum revocet; num verò ipsa alienatio per juramentum confirmetur, ita, ut exinde actio justitiæ oriatur, de hoc Jus Canonicum Judicibus secularibus nihil præscribit.

424. Si quæras, an hæres ex contractu legitimo, & simul jurato à defuncto prius inito, conveniri possit coram Judice seculari, non tantum titulo vinculi justitiæ, sed etiam Religionis, illo propter contractum, isto propter juramentum? Resp. posse, vi primi vinculi, quando materia contractus non est aliena à foro Laico, ut, si sit super re merè temporali. Quoad secundum, de vinculo juramenti, in quantum importat obligationem Religionis, videtur negandum. Nam hæres, quæ talis, non potest conveniri ex obligatione contracta per eum, cui succedit, nisi talis obligatio sit realis, seu cum re transeat ad hæredem; sed obligatio ex vi juramenti non transit in hæredem, cum sit personalis ex communi Doctorum; ergo.

Tom. II.

425. Dices: huic resolutioni obstare c. *fin.* de sepulturis, ubi dicitur, ad satisfaciendum cogi debere hæredes, ad quos pervenerunt bona defuncti, qui ab excommunicatione, contracta propter graves excessus, in morte fuit absolutus. Resp. etsi non desint, qui velint, dictos hæredes conveniri posse ex maleficio defuncti, licet nihil inde pervenerit ad eos, ut vult Covarr. Menoch. & alij apud Barbof. in cit. c. *fin.* n. 4. hoc tamen ex ejus textu non rectè deduci, ut clarum est ex textu, ibi: sed ejus hæredes, & propinqui, ad quos bona pervenerunt ipsius, ut pro eodem satisfaciant, censurâ sunt Ecclesiastica compellendi; igitur obligatio, quæ in hoc c. hæredibus imponitur, est ratione bonorum, quæ ad eos pervenerunt; adeoque non personalis, sed realis est. Deinde quando dicitur, cum judicium coram Ecclesiastico contra jurantem ceptum est, hæredem teneri stare judicio cepto, & durare apud eundem usque ad finem judicij, hoc non nascitur ex obligatione juramenti, merè personali, sed ex contractu, vel quasi contractu, quem inducit litis contestatio, ut alibi diximus. Sed de hac materia juramenti ex professo dicemus infra tit. 24.

e. VI.

An, & qualiter ultima voluntates sint mixti fori?

426. Potissima quæstio est circa illarum executionem, cui hoc munus de jure computat in casu, quò nullus Executor à defuncto nominatus est? Inter ea, quæ pertinent ad executionem, sunt legata, quorum quædam esse possunt, vel ad causas pias, vel ad profanas. In hac materia extant plures leges civiles. Primum enim in Novella 131. c. II. §. *si autem*, dicitur: *in omnibus enim talibus piis voluntatibus Sanctissimos locorum Episcopos volumus providere, ut secundum defuncti voluntatem cuncta procedant: licet præcipue à testatoribus, aut donatoribus interdictum sit, eos habere ab hoc aliquod participium.* Deinde L. 28. §. 5. c. de Episc. & Clericis, ibi: & *ne pium defuncti propositum, improba fraudatorium calliditate celetur, quidquid pro hujusmo-*

jusmodi causa à testatore relictum fuerit, universi, qui id quocunque modo cognoverint, *vel in Viri Clarissimi Rectoris Provincia, vel in Urbis Episcopi notitiam deferendi, liberam habeant facultatem*; ac demùm L. 50. ff. de petit. heredit. ibi: quamvis enim stricto jure nullâ teneantur actione hæredes ad monumentum faciendum, *tamen Principali, vel Pontificali auctoritate compelluntur ad obsequium supreme voluntatis.*

427. Not. autem per ea verba Novellæ 131. in omnibus enim talibus piis voluntatibus, denotari omnes præcedentes, de quibus à principio Novella loquitur, quæ sic habet: *si quis pro redemptione captivorum, aut alimentis pauperum hereditatem, aut legatum reliquerit in rebus mobilibus, aut immobilibus, sive semel, sive annale: & hoc modis omnibus secundùm testatoris voluntatem, ab iis, quibus justum est hoc facere, compleri.* Si autem specialiter dixerit, *quomodo pauperibus hoc reliquit: præcipimus Sanctissimum Episcopum Civitatis, in qua testator habuit domicilium, percipere easdem res, & ejus Civitatis pauperibus erogare.* Si autem pro redemptione captivorum aliquid relinquatur, *& non nominatim testator dixerit, per quem oporteat fieri redemptionem captivorum: etiam sic jubemus, res ad hoc relictas, locorum Episcopum, & ejus aconomos accipere, & hujusmodi pium opus implere.* Nam his enumeratis statim subjungit *in omnibus enim, &c.* & recusantibus Episcopi executioni parère, statuit pœnam, ibi: *Si autem, qui hoc facere jussi sunt, semel, aut secundo à beatissimo locorum Episcopo, aut ejus aconomis per publicas personas admoniti distulerint, quæ disposita sunt, adimplere: jubemus eos, omne lucrum relictum eis ab eo, qui hoc præceperit, amittere: & locorum Episcopos omnes res cunctis (sicuti dictum est) piis causis distributas, cum fructibus, & augmentis medijs temporis, & memorato lucro vindicare: & quæ testator disposuit, adimplere scientes, quia si neglexerint, pro his omnibus rationem D E O persolvent.*

428. Ut autem, quantum sibi cordi sit executio ultimarum voluntatum, ostendet Imperator, in eadem Novella, c. 12.

ita statuit: Si autem hæres, quæ ad pias causas relicta sunt, *non impleverit, dicens relictam sibi substantiam non sufficere ad ista: præcipimus omni Falcidiâ vacante, quidquid invenitur in tali substantia, proficere, provisione Sanctissimi locorum Episcopi ad causas, quibus relictum est.* Si autem legatum ab aliquo ad pias relinquatur causas: *jubemus intra sex menses, ab insinuatione Testamenti numerandos, hoc modis omnibus præberi, quibus relictum est.* Si autem distulerint, qui in hoc cnerati sunt, hujusmodi præbere legatum: *& fructus, & Usuræ, & omne legitimum exigatur augmentum à tempore mortis ejus, qui hoc reliquit.* Si autem annale legatum cuilibet venerabili domui relinquatur: siquidem qui hoc dare jussi sunt, aut locus, ex quo justum est hoc præberi, in ipsa aut vicina Provincia fuerit: *jubemus nullo modo legatum alienari.* Si verò loca, aut personæ, ex quibus hoc dari præceptum est, longius fuerint: tunc liceat illis, quibus hoc relictum est, si etiam pars obligata consentit, commutare legatum, & pro eo percipere redditus idoneos, *& cum augmento non minus quarta partis relicte quantitatis, & neque plurimis tributis fiscalibus prægravatos: aut vendere, si voluerint, hujusmodi legatum, & non minus pro pretio percipere, quàm ex tali legato intra vigintiquinque annos colligitur: ita tamen, ut hujusmodi pretium ad utilitatem prædictæ venerabilis domûs, ubi relictum est, proficiat.*

Idem circa executionem piorum legatorum expressè habetur in Trid. Sess. 22. de Reform. c. 8. ibi: *Episcopi etiam, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus à jure concessis, omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate, quàm inter vivos, sint executores.*

Ex dictis juribus deducitur. i. executionem legatorum ad pias causas pertinere ad Ordinarium loci, si nullus alius executor à defuncto nominatus est, etiam si defunctus in ultima voluntate sua interdixisset, ne Episcopus in illa se intromittat, id, quod aperte sequitur ex §. *in omnibus enim*, de quo num. 426. quando autem in duabus posterioribus constitutionibus sermo est alternativus de Rectoris Provincia, vel Urbis Episcopo; ut habetur

L. 28.

L. 28. & de Principali, vel Episcopali auctoritate, ut dicitur L. 50. de qua num. 426. intelligendum venit in casu, quo improbâ fraudatorum calliditate aliquid celaretur, ne pium defuncti propositum impleatur, vel hæredes recusarent defuncto monumentum facere ad obsequium supremæ voluntatis.

431. Deducitur 2. pia legata, intra sex menses, numerandos ab insinuatione Testamenti, spectato jure communi, solvenda esse; & si hæredes recusarent, cautelantes, quòd substantia sibi relicta non sufficiat ad ea persolvenda, Falcidiam ei non concedi per cit. Novell. c. 12. *supr. num. 428.* Deducitur 3. in quaestione, ad quem Episcopum (an domicilij, an Originis?) pertineat executio ultimarum voluntatum quoad legata sita est; cæterum ad Episcoporum originis; excipe res legatas pauperibus erogandas; harum enim executio pertinet ad Episcopum Civitatis, *in qua testator habuit domicilium*, ut dicitur in cit. Novell. 131. in n. 427. id quod etiam dicendum ex eadem Novella, si pro redemptione captivorum aliquid relinquatur, si testator non dixit nominatim, per quem oporteat fieri redemptionem captivorum. In dubio autem attendi debet consuetudo loci, modò legitime inducta sit; quæ rationabiliter præsumitur pro Episcopo loci, in quo Testator defunctus est.

432. Notandum autem, quosdam velle, dictam executionem pertinere ad utrumque Judicem, tam Ecclesiasticum, quam secularem; id, quod deducunt ex dicta L. 28. & 50. relatâ superius num. 426. sed ad hoc respondimus num. 430. quamvis multi Judices Laici se tueantur consuetudine, quam dicunt jam receptam, ut per ipsos fiat. Mirabile tamen est, à plurimis ejusmodi Judicibus, in plerisque, quæ agunt non modò contra leges, sed etiam Sacros Canones, vix afferri ullum rationabile fundamentum, quo tueantur ejusmodi *consuetudinis justitiam*. A multis audivi, sapius reddi pro factorum suorum exorbitantia, nullo jure scripto permisâ, imò reprobatâ, hanc unam rationem; *quia sic jam est consuetum; sic habet usus, & praxis*; super tali excusatione minus rationabili Gregorius summus Pontifex (ut habetur in integra le-
Tom. II.

ctione c. *cum non ignores*, 15. de præbend.) scripsit cuidam Archiepiscopo ita loquens: *mirabile gerimus, & indignum*, quòd uni personæ locum in pluribus Ecclesiis velis concedere, vel *in Episcopatu tuo inducere consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ*: quæ, *cum unum ad plura recipiat beneficia, contra Sanctorum Canonum instituta, non approbatur à nobis, licet non possit præ multitudine delinquentium emendari.*

Ex hoc enim, quòd contra tales usus, potentia, & cupiditate, vel etiam avaritia potius, quàm ratione inductos, quandoque etiam Principes non modò Ecclesiastici, sed etiam Laici, non utantur pœnali correctione, prorsus ineptè deducunt plures, id ipsum sibi licere, tanquam silentio Principis comprobatum; cujus tamen evidens argumentum est in contrarium, etiam ipsâ conscientia reclamante, non propterea approbari, sed *cum non possit præ multitudine peccantium emendari, patienter sustineri*, ut bene ait Innocentius III. (prout habetur in c. *cum jam dudum*, 18. de præbend.) scribens Episcopo, & Cantori Tornacensi; *quia multa per patientiam tolerantur, quæ, si deducta fuerint in judicium, exigente justitia, non debeant tolerari*. Unde, si quandoque in examen justitiæ venirent ejusmodi consuetudines, & ut ajunt praxes, factò jam receptæ, deprehenderentur natales suos repetere ab Ambitione, Cupiditate, Odio, dominandi libidine, ac aviditate lucri; ex quibus natæ illæ consuetudines, & praxes, utpotè vitiosæ ex objecto, nunquam etiam immemorabili tempore purgari possunt, ac præbere idoneam legi materiam, sine qua nulla consuetudo vim habere potest; sed corruptela est; & consuetudo perversa.

Accedit, quòd plurium opinione, profectò erroneâ, jam persuasum sit, *quàmlibet consuetudinem*, seu longum usum, seu practicam, pro lege recipi, dare jurisdictionem; & illicitum cæteròquin stante tali lege, reddi licitum, tanquam contra vim legis prohibentis jam esset præscriptum usu contrario, quo sit abrogatâ. Certum autem est, quòd nulla consuetudo, contra legem præexistentem prævaleat, nisi sit rationabilis (hoc est; verfe-

tur circa materiam, de qua merito lex condi posset; si nulla extitit; vel certè bono communi, saltem æquè utilis sit, ac lex præexistens, si ei contrarietur) id quod nunquam habere potest ulla consuetudo, quæ laborat vitio intrinseco ex objecto, qualis ea est, de qua num. præced. Sed de hoc plura *lib. 1. tit. 4. de Consuetud.* Ex dict. tandem concludi potest, an, & quo sensu causæ ultimarum voluntatum sint mixti fori?

§. VII.

An Sodomia sit mixti fori?

435. **D**E hac materia agitur in corpore iuris Ecclesiastici, c. *Clerici*, 4. de *excessibus Prælatorum*, ibi: *quicunque illà incontinentià, quæ contra naturam est* (propter quam ira Dei venit in filios diffidentæ, & quinque civitates igne consumpsit) *deprehensi fuerint laborare, si Clerici fuerint, dejiciantur à Clero, vel ad agendam pœnitentiã in Monasterijs detrudantur: Si Laici excommunicationi subdantur, & à cœtus fidelium fiant penitus alieni.* Ex quo colligitur, hoc crimen esse fori Ecclesiastici; non tamen solius, sed etiam secularis; cum de illo etiam in eo jure habeatur peculiaris constitutio, *L. 31. C. ad leg. Jul. de adulter.* ibi: *cum Vir nubit, in fœminam Viris porrecturam, quid cupiatur, ubi sexus perdidit locum?* id est, ut notat glossa, ubi nulla habetur ratio sexus à Deo distincti? jubemus insurgere leges, amari jura gladio ultore, ut exquisitis pœnis subdantur infames, qui sunt, vel futuri sunt Rei.

436. Circa prædicta jura not. 1. ea loqui de Sodomia perfecta, quam apud Pereyram in *Elucidar. num. 1511. definit* S. Thomas 2. 2. q. 154. a. 11. quòd sit *coitus inter duos non servato sexu debito*: ac proinde committitur per concubitum masculicum masculo, aut fœminæ cum fœmina. Not. 2. contra hoc vitium extare specialem constitutionem Pij V. incip. *Horrendum scelus*, per quam omni Privilegio Clericali, Officio, Beneficio, & dignitate privati degradantur, ac brachio seculari traduntur; & refertur à Barbofa de *Offic. & potest. Episcopi p. 2. allegat. 46. num. 21.* quam tamen pertinere ad forum

exteriori, & in foro conscientie non esse usu receptum, tradunt Filliuc. de *casib. reserv. p. 2. c. 7. §. 1. n. 8.* Avila de *Censur. p. 7. D. 4. d. 7. conclus. 7.* & alij; & intelligi volunt de illam *exercentibus* (hoc est, qui usu frequenti hoc vitium committunt) Fr. Emmanuel *qq. regular. to. 1. q. 30. a. 19.* Sayrus de *Censur. l. 7. c. 12. num. 23.* & alij; nec nisi hoc sit notorium; sic Ugolinus de *irregular. c. 43. num. 4.* & ad pœnas in eo decreto contentas exigi sententiam Judicis, ita, ut ante illam Clerici eas non incurrant in foro conscientie; sic Filliucius *tom. 1. quest. moral. tr. 17. n. 127.* & alij. Illud ad extremum nota ex Haunold. *tom. 5. de Jure, & Justitia, tr. 1. num. 339.* quamvis particula *exercentes* rectè sumatur in eo sensu, quo præmissum est; & apud eundem testetur Navarrus, Pium V. sic ore tenus declarasse; quia tamen in alijs constitutionibus habetur: *perpetrantes*, Martam cum alijs arbitrari, ad incurrendas eas pœnas, sufficere unum actum.

§. VIII.

An Usura sit crimen mixti fori?

437. **L**oquimur de Usura, dux non tantum jure Canonico, sed etiam civili prohibita est. Nam eo sensu, quo jure civili permittitur, non esse vitiosam, sustinet Haunold. *cit. tom. 3. tr. 9. à num. 382.* & quamvis Baldus *L. quoties C. de Judicis*, cum alijs Antiquioribus existimaverit, *Usuram* esse crimen solius fori Ecclesiastici (quod jure civili permittitur) quia tamen non in quolibet sensu, etiam hoc jure admittitur, sed prohibetur, ut constat ex Novella 131. idèd communior tenet, esse crimen utriusquè, consequenter mixti fori. Verba Novellæ sunt: *Sancimus igitur, vicem legum obtinere Sanctas Ecclesiasticas regulas, quæ à Sanctis 4. Concilijs exposita sunt, aut firmata.* hoc est, in Nicæna Trecentorum decem, & octo; & in Constantinopolitana Sanctorum 150. Patrum; & in Ephesina prima, in qua Nestorius est damnatus; & in Chalcedonia, in qua Eutiches cum Nestorio anathematizatus est. Prædictarum enim quatuor Synodorum dogmata, sicut Sanctas Scripturas accipimus

pimus, & regulas, sicut leges observamus. Nam ex hoc sic argui potest: quod prohibitum est in dictis 4. Concilijs, etiam in jure civili habendum est prohibitum (cùm illa Conciliorum prohibitiones ab Imperatorè etiam pro foro civili, receptæ sint in vicem legis) sed in illis Concilijs, prohibitæ sunt *Usuræ*; ergo etiam jure civili.

438. Min. constat ex Concilio Nicæno c. 17. quod refertur c. *quoniam* 2. *dist.* 47. ibi: quoniam multi sub regula constituti avaritiam, & turpia lucra sectantur; oblitique divinæ Scripturæ, dicentis (qui pecuniam suam non dedit ad usuram) mutuam dantes centesimas exigunt, justè censuit sancta, & magna Synodus, ut, *si quis inventus fuerit, post hanc definitionem usuras accipiens*, aut ex adinventione aliqua, vel quolibet modo negotium transigens, aut hemiola, id est, fescupla exigens, vel aliquid tale proflus excogitans turpis lucri gratia, dejiciatur à Clero, & alienus existat à regula. Pro cujus expositione not. per *hemiola*, seu *fescupla* intelligi sesqui alterum usuratum genus in frugibus humidis, vel arentibus permiffum lege Constantini, quæ nunc exstat in Codice Theodosiano, *lib. 2. tit. ult. de Usuris*, l. 1. Eodem pertinet, quod scribit B. Hieronymus in commentarijs in Ezechielem, *lib. 6. c. 18.* his verbis: solent in agris frumenti, & milii, vini, & olei, cæterarumque specierum usuræ exiggi, sive ut appellat sermo divinus *superabundantiæ*: verbi gratia, ut Hyemis tempore demus decem modios, & in messè recipiamus quindecim; hoc est, amplius partem mediam. Quamobrem hoc canone, quo Patres illi omnes pecuniarias usuras Clericis interdiciunt, voluerunt etiam fescuplam frugum expressè iisdem interdicerè. Postea verò in alijs Concilijs, & à Romanis Pontificibus genus omne usurarum tanquam juri naturali, ac Divino contrarium, tam Clericis, quam Laicis suis interdictum; quemadmodum apparet in Decretalibus, *tit. de Usuris*.

439. Potissima difficultas, quæ hic movetur ab Haunoldo *cit. num.* 325. est, an quæstio juris in dubio, *an hic contractus sit usurarius?* sit mixti fori? atque adeò etiam à Judice Laico definiti possit? Ne-

gativam sequitur Marta p. 2. *de Jurisdic. c. 7. num.* 11. & Julius Clarus, §. *fin.* q. 37. n. 2. quia cùm sit periculum gravis peccati, si contractus approbetur tanquam non usurarius, qui revera ex principijs Sacræ Theologiæ usurarius est, videtur cognitio de hac juris quæstione non posse pertinere ad forum Judicum secularium; qui plerumque procedunt solùm ex præsumptionibus, & dispositione legum, quæ respiciunt magis forum fori, quam forum poli; quod tamen in hac materia præcæteris considerandum est, cùm ipse Imperator, ut retulimus *num.* 437. se remittat ad constitutiones Conciliares Ecclesiæ, cujus proprium est judicare de his, quæ vi legum à se conditarum jure valida, vel irrita sint. Affirmativam tamen sequitur Haunoldus, pro sua opinione referens Guazzenum *defens.* 11. c. 12. Covarruviam *Variarum resol. l. 3. c. 3.* & Farinacium, &c. Sed hoc videtur accipiendum de quæstione, quanti æstimari justè possit periculum lucri cessantis, vel emergentis damni in certis circumstantiis? ratione cujus aliquid licitè ultra sortem exiggi potest.

§. IX.

De Præventione.

440. Quid sit *præventio* in causis mixti fori? diximus *num.* 396. in fine; quæstio nunc est. i. an Actor possit inter Judices variare? pro quo responsio est negativa. i. ex L. *ubi* 30. *de Judicijs*, ibi: *ubi acceptum est semel judicium, ibi & finem accipere debet*; deinde, ex Authent. *qui semel*, C. quomodo aut quando Judex sententia proferre debet; ibi: *qui semel actionem proponit, sive conventionem Judicariam, sive precibus Principi oblatam, Judicique insinuatam, & per eum Adversario cognitam, necesse habet usque ad finem litem exercere.* An autem, & qualiter Actor possit facere, citari Reum ad utrumque Judicem; colligi potest ex *dict. à n.* 398.

441. Quæstio altera est; quò actu inducatur præventio? In hac quæstione Bartolus *L. penult. ff. de Judicijs existimat*, eam induci litis contestatione, quòd dicta lex videatur hoc supponere; communior ta-

men tradit, quòd citatione Rei; nam per hoc definit esse res integra, & firmatur jurisdictio Judicis delegati sic, ut non desinat etiam morte delegantis, ut diximus *lib. 1. tit. 29.* ubi etiam diximus, non sufficere solum mandatum citationis, nec alia iudicii preparatoria, seclusà citatione. Not. autem nos loqui de citatione verbalis; pro qua requiritur, ut pervenerit ad notitiam citandi, vel per ejus malitiam impedita sit, ne in ejus notitiam deveniret, de quo V. dicta à *num. 186. & 329.* Not. 2. ubi proceditur vià accusationis, citationem debere fieri ad instantiam Accusatoris; si per denuntiationem, ad mandatum Judicis; sic Bartolus *in L. 13. C. Judic.*

442. Quæstio 3. est, an in Ordine ad hoc sufficiat una & simplex citatio? de hoc agitur *c. proposuisti. 19. h. t.* ubi dicitur, quòd qui à Judice suo ad instantiam Adversarij legitime citatus, & ita in causa illa prævenerit, non possit mutando forum, per translationem domicilij, prius illud iudicium declinare; si enim per citationem etiam unicam, & simplicem iudicium jam est semel captum; consequenter per dictam *L. Ubi, 30 ff. de Judic.* (relatum *num. 440.*) ibi finem debet accipere; licet autem dictum *c. 19.* loquatur solum de eo, qui ratione domicilij aut beneficij residentiam postulantis, ideòque absolutè, subditus est; tamen idem quoque dicendum de eo, qui subditus est secundum quid, videlicet ratione debiti, aut contractus, quòd per citationem prævenerit effugere non possit Judicis potestatem, quo minus contra illum procedi possit tanquam contumacem, nisi se sistat, & respondeat.

443. Quoniam verò quandòque fieri possit, quòd prævenerit per citationem verbalem occurrant cum reali, distinguendum est, an fiant quasi simul, an una prius altera? nam in primo casu, prævaleret realis, tanquam potentior; quòd etiam dicendum, si verbalem tempore præcederet; si autem verbalis præcederet realem, communior Doctorum opinio est, quòd tunc prævaleret verbalis reali; cum nullo jure illi, si tempore prior sit, adimatur vis inducendi prævenerit, esto subsequatur realis, mandato alterius Judicis. Hinc si Reus citatus verbaliter ab uno Judice,

post hoc etiam citetur realiter ab altero, indicto v. g. arresto, non teneretur parere secundo; & sistens se primo, non curato tunc arresto, nihil ageret contra jus secundi, utpote prævenerit à primo Judice competente; quòd maximè procedit, si delictum ratione personæ exemptæ à foro secundi Judicis, non subesset ejus cognitioni, prout res se habet in causis Scholasticum, de quibus in Authent. *Habità, C.* ne filius pro Patre.

444. Quæstio 4. est, quis sit effectus prævenerit? Resp. quòd principalis ejus effectus sit consolidatio jurisdictiois pro tali causa in Iudice prævenerit, ita ut nullus alius Iudex, quantumvis antecederet ad prævenerit competens fuisset, in negotio prævenerit se ingerere possit, *arg. L. 7. ff. de Judicij,* ibi: *si quis, postquam in jus vocatus est, miles, vel alterius caperit, in ea causa jus revocandi forum non habebit, quasi prævenerit.* Et hoc etiam statuitur in *c. Proposuisti. 19. h. t. quod retulimus num. 442.* Nam juxta hanc constitutionem legitime citatus, tenetur coram Iudice citante causam prosequi, non obstante; quòd post citationem etiam mutaverit forum; ergo etiam non obstante, quòd post citationem ab uno Iudice aliis competentium, citetur; sic enim est ab illo legitime prævenerit. Ex hoc fit, quòd Iudex, qui alterum prævenerit, prævenerit etiam inhibitione pœnali possit prohibere, si vellet se ingerere; quòd tamen intellige, si ambo sint sub eodem Principe, ne cateròquin talis inhibitiò contemni possit, nullo valente illum compellere.

445. Præter dicta not. 1. quando plures sunt Rei in eodem delicto, prævenerit probabilius induci ab eo, qui unum eorum citavit prius; ne scilicet dividatur continentia causarum, quòd jura fieri prohibent; quòd tamen accipe, nisi complex aliunde etiam in delictis sit exemptus à foro talis Judicis, qualiter contingeret in delicto Clerici cum Laico; nam Clericus etiam criminofus exemptus est à foro Laicorum *ex dict. supr.* Unde, si Iudex Ecclesiasticus citatione Clerici prævenerit Iudicem Laicum, iste etiam foret prævenerit quoad complicem Laicum; non e contra.

Not.

446. Not. 2. Si Iudex præventus nihilominus procederet, utriusque Iudicis processum per se loquendo valiturum, si sententiæ illorum non forent contrariæ, nec pars præventa opponeret exceptionem præventionis; nam Iudex præventus verè est competens, quamvis exceptione præventionis declinari possit; non tamen exceptione incompetentiæ; unde, si ei exceptio præventionis non opponatur, jure suo procedet. Debet autem Iudex præveniens in ejusmodi casu procedere juxta stylum suæ Curia, ac si non esset ullus alius Iudex competens, & alterius Curia.

447. Not. 3. in casu, quo Reus Iudici per alium prævento in casum opponeret exceptionem præventionis ab alio factæ, Iudice prævento non attendente illam exceptionem, Reum posse, vel recurrere ad Iudicem prævenientem, ut sui vexationem inhibeat Iudici prævento; vel si hoc non juvaret, ad Superiorem, si idem sit utriusquè Superior; vel demum (si non essent sub eodem Principe) Reo manere liberum, comparere coram alterutro, quo maluerit.

448. Quæstio 5. Est circa pœnas, an, postquam Reus à Iudice præveniente est punitus, etiam Iudex præventus cognitâ deinde causâ possit eundem rursus punire? hic casus frequens est in criminibus mixti fori, ubi Iudices Laici, non obstante pœna per Iudicem Ecclesiasticum, qui secularem prævenit, Reo inflicta, eundem perinde puniunt, ac si ab illo punitus non esset, plerumque majori aviditate pecuniæ, quam ut metu pœnæ delictis cautela, vel terror imponatur; id, quod etiam quandoque fit à Curatis, quoad adulteros, fornicarios, &c. Ante resolutionem not. quæstionem procedere solum de casu, quo delictum à primo Iudice, qui prævenit, non est sufficienter punitum, pœnâ nimirum infra meritum delicti?

449. Et ad hoc satis communis opinio affirmat, quando delinquens delicto mixti fori à Iudice præveniente non fuit sufficienter punitus, posse illum ab altero Iudice rursus causâ cognitâ puniri eo usquè, ut pœna censeatur commensurata delicto; non tamen ultra. Ratio primi est; quia sicut delicta non debent simpliciter manere impunita, ne delictorum im-

punitate laxetur frenum liberè delinquendi, quod est magnum omnino malum in qualibet Republica, cujus est pro tranquillitate publica custodire justitiam legalem; sic nec debent manere impunita *sufficienter*, ne levitas, & indulgentia pœnæ non curatæ careat effectu, qui est metu condignæ punitionis, non tantum coercere lapsos; sed etiam alios; ut inde absterreantur. Ratio secundi est, quia punire delictum ultra meritum est contra justitiam vindicativam; & valde probabiliter Iudex puniens ultra condignum lædit etiam justitiam communitativam; cum quilibet jus strictum habeat, ne puniatur innocens; adeoque nec in eo, in quo non est nocens, quod tamen contingeret, si ultra meritum delicti puniretur; excessui enim illi nihil responderet ex delicto. V. Covarruvias Var. *resol. tom. 2. l. 2. c. 10. num. 6.*

Advertendum autem, alias esse pœnas *legales*, nimirum ab ipsa lege, vel jure certis criminibus decretas; alias autem *arbitrarias*, hoc est, Iudicis arbitrio relictas. Hinc not. 1. si Iudex Ecclesiasticus Reum punivit pœnâ spirituali, & à lege seculari decreta est pœna corporalis delicto, Iudicem secularem posse delinquentem omnino coercere illâ pœnâ legali, id, quod in dato casu locum habet in omnibus delictis mixti fori, ut tradit Covarruvias cit. Scaccia *inc. Felicis, 5. de pœnis, in 6.* Nam postquam Bonifacius VIII. *cit. c. Felicis* statuisset varias Spirituales pœnas in diversos delinquentes, subiungit: *per hoc quoque secularibus potestatibus non adimimus facultatem, utendi legibus contra tales, quas adversus Sacrilegos Catholicæ Principes ediderunt.* Nam ex hoc inferunt Doctores communiter, accusatum, & judicatum de aliquo ex criminibus mixti fori (quale constat esse Sacrilegium, de quo hic juxta *c. cum sit generale, de foro compet.*) in iudicio Ecclesiastico, posse iterum in seculari accusari, & puniri, & è converso, idem probat text. *in L. placet, vers. si quis, C. de Sacrosanct. Eccles. Abb. num. 4. Felin. num. 13. inc. de his, de accusat.*

Hoc non obstante, contrariam sententiam sequi videtur Barbosa *in cit. c. 5. num. 37.* dicens, semel in iudicio Ecclesiastico accusatum de crimine mixti fori, & pœ-

450.

451.

& pœnâ ordinariâ judicatum, non posse amplius in seculari judicio conveniri, & è converso; & hoc tradi à Glossa V. *audivimus*, dum resolvit, in hoc textu jus speciale constitui; sic planè significans contrarium fore secundum regulas juris, quàm sequuntur Domin. & Franch. hie *num. 3. Hostiens. & Joan. Andr. in c. 1. & fin. de Offic. Ordin. & complures alij.* Ad rationem in contrarium ex *dict. c. 5. respondet*, non ob stare illius textum; sed per locum à speciali potius probari contrarium; nam; si secundum juris regulas, accusatus in foro Ecclesiastico, poterat iterum puniri in seculari, necessarium non erat, ut Summus Pontifex protestaretur, *non esse suæ intentionis per pœnas fori Ecclesiastici adimere pœnas fori secularis*; cum igitur necessarium esse duxerit *id exprimere*, aptè sentit, secundum juris regulas. Contrarium fore dicendum; & ita intelligit gloss. V. *audivimus*, cit. & Soc. non improbabiler dici, affirmat Haunoldus *tom. 6. de Justit. tract. 1. n. 123. in fine.* Cæterum utraque sententia videtur conciliari posse, dicendo affirmativam procedere solum in casu, quo per unum Judicem delinquens nondum punitus est sufficienter; negativam, si sufficienter, juxta moderationem in seqq.

452

Hinc etsi Judex Ecclesiasticus delinquentem puniverit pœnâ legali, quæ delicto jure Canonico statuta est; (quæ merè Spiritualis, aut Medicinalis quoad animam est) poterit Judex secularis eidem etiam infligere pœnam legalem, quæ tali delicto statuta est jure seculari; excipe, nisi pœna legalis unius fori, extinguat ulteriorem pœnam utriusque, qualis est pœna mortis, juxta plures leges, & statuta municipalia. Ratio primi est; quia, cum delictum fori mixti lædat utriusque fori justitiam legalem; ubi à quolibet eorum statuta est pœna legalis, inflictâ pœnâ, statuta lege unius fori, etsi hæc sit sufficienter relatè ad tale forum, ut à Judice talis fori non amplius justè puniri possit; non est tamen sufficienter relatè ad forum alterum, in quo pariter statuta est eidem delicto pœna legalis.

453

Ex hoc deducitur, ubi in foro Ecclesiastico jure definita est pœna Spiritua-

lis, præsertim medicinalis, cujusmodi sunt censure! stando in sententia affirmantium, posse Judicem secularem progredi ad puniendum eundem delinquentem pœna corporali, si quæ illi delicto definita sit lege seculari; sic Scaccia *cit. in c. 5. de Pœnis, in 6.* quamvis oppositum sentiant negantes, de quibus à *n. 451.* nisi delictum tale sit, quod sufficienter puniri non possit à foro Sacro, seu Ecclesiastico. Et ideo probabiliter affirmantes limitant communem doctrinam, ut procedat solum in duobus casibus. 1. quando pœna legalis in foro Ecclesiastico est solum medicinalis, quæ potius pertinet ad salutem animæ, quàm corporis afflictionem; 2. quando delicto est imposita pœna sanguinis; hanc enim non potest infligere Judex Ecclesiasticus.

Si autem contingat, delinquenti etiam in foro Ecclesiastico constitutam esse pœnam corporis afflictivam, quæ spectato foro Ecclesiastico, non autem civili, est sufficiens, dubitari potest, an delinquentem jam punitum prædictâ pœnâ, denuò etiam Judex secularis punire possit pœnâ, jure seculari definitâ? ad hoc meritò respondet negativè Haunold *tom. 6. de jure, & Just. tr. 1. n. 124.* rationem dat, quia non est conveniens, ut Judex Ecclesiasticus in taxanda pœna perinde astringatur legi civili, sicut Judex secularis astringitur, cujus sententia esset omnino nulla, si non puniret pœnâ à jure ipsi præscriptâ.

Potissima difficultas est circa pœnas arbitrarias; nam in his amor avaritiæ, & luctu cupiditas, aut etiam privati affectus immoderatio frequenter excedit. Ex hoc enim fit, quòd in pœnis Reo decernendis Judices perquam graviter delinquant. 1. si Reos æqualium scelerum, inæqualiter puniant; v. g. plebem, cum rigore, publicè, &c. civem, sed amicum, cognatum, &c. aut nihil, aut tacitè, esto illorum delicta notoria sint, aut communiter magis scandalosa. 2. quòd non curent finem pœnæ, qui est, illius coercitione frænare delinquentes, & curare, ne fiant lapsus recidivi; sed contenti sint, modò delinquens deponat pœnam pecuniariam, sive sequatur emendatio; sive delicta repetantur; ex quo quandoque fit, (ut sæpius lucro suo deterviant, quòd impunè per-

permittantur repetita scelera, nulla sequatur correctio, aut morum emendatio, ne scilicet rariori lapsu rarior poena illis obveniat, & minuat punientium lucrum. Unde, sicut Judex, qui Reum de se dignum furcâ, condemnat ex odio, indubiè peccat; cum ejus potestas vindicativa non extendat se ad puniendum ex odio; sic indubiè peccat Judex, qui delinquentem de se dignum eâ poenâ punit ex aviditate lucri, ob rationem eandem.

456. Quæstio igitur est, an delinquens censetur sufficienter punitus poenâ arbitrariâ, inflictâ illi quacunque? Resp. communem esse doctrinam, quæ affirmat, ut tradit Haunoldus *cit. num. 125.* cum Scaccia *cit. num. 91.* excepto duplici casu. 1. si constaret, Judicem fordibus (nimirum per munera, vel data, vel promissa, corruptum) notabiliter poenam leviolem inflixisse delinquenti, quàm consideratis omnibus circumstantijs delicti gravitas exigit; 2. si poena notabiliter levior, quàm quæ tali delicto taxata est, ex usu saltem, & consuetudine legitima, ex ignorantia, vel lata culpa Judicis, inflicta esset. Tali enim casu (quia manifestus esset dolus, aut negligentia Judicis in administratione sui muneris, quo graviter nocetur bono Reipublicæ, tam per defectum, quàm excessum poenæ) jure suppleret Superior non modò augendo poenam, in eo, quo notabiliter defecit à commensuratione cum delicto, imò & plectendotalem Judicem; sed etiam in illo, quo excessit adurgendo ejusmodi Judicem, præsertim vicio avaritiæ, ac lucri fordium, ad iniquè accepti restitutionem; cum id exigat justitia commutativa jure naturali, & divino.

ARTICULUS VII.

De reliquis ad hunc titulum pertinentibus.

457. Cùm à n. 397. egerimus de nonnullis criminibus in specie, quæ saltem in aliquibus quæstionibus, resolvimus esse mixti fori, notandum, iisdem annumerari. 1. *Sacrilegium*; cum de illo puniendo non tantum agatur in jure canonico locis variis; sed etiam civili, præsertim *l. 10.*

Tom. II.

*C. de Episc. & Cleric. & Novella 123. c. 21. §. 1. Secundò sortilegium, ex Cod. in tit. de Maledicis, Mathematicis, & aliis similibus: ac jure canonico l. 5. tit. 21. & causâ 26. q. 5. c. 10. Tertio crimen falsi, ex c. 7. de crimine falsi; & ad L. Corneliam de crimine falsi, tam in ff. quàm Cod. Quarto concubinarum, de quâ c. Nemo 32. q. 4. & in jure civili, Novellâ 14. quæ est de lenocinio, §. 1. Quintò polygamiâ, quod tamen intellige, si fiat ex libidine; si enim propter eam polygamus sit suspectus de hæresi, pertinet ad solum Judicem Ecclesiasticum; de quo V. dicta *l. 5. tit. 7. de hæreticis.* Sextò, si offendantur Ecclesiæ, de quo *lib. 5. tit. 17. de Raptoribus, incendiariis, & violatoribus Ecclesiarum.* Septimò, *Assassinium*, de quo ex professio infra *tit. 49. de Immunitate Ecclesiarum &c.**

Hac occasione, cum crimen Concubi- 458. natus numeretur inter delicta fori mixti, quæstio moveri posset, an etiam hoc dicendum sit de concubinato Clericorum cum mulieribus Laicis, sic, ut Judex Laicus præveniens Ecclesiasticum, non tantum mulierem Laicam, sed ipsum quoque concubinarium Clericum, ratione talis delicti judicare, ac punire possit? Sed ad hanc quæstionem ex dictis constat Clericos à jurisdictione fori secularis etiam in delictis omnino exemptos esse, de quo egerimus à n. 137. nec ejusmodi Judices juri suo solito jam consuetudinis, & praxis refugio; cum enim potius sit corruptela, quàm usus & praxis rationalis, prout constat tot sacris canonibus, imò & Principum secularium constitutionibus, de quibus egerimus loco supr. cit. & non consensione liberâ, sed vi, & illicitis plerumquè compulsionibus innitatur, nequit vim ullam habere adversus tot summorum Pontificum, ac Principum constitutiones; præsertim, cum etiam in Trid. *sess. 25. de reform. c. 14.* ubi, cum ageret de puniendis Concubinariis Clericis, subjungit: *supra dictorum omnium cognitio non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat*: qui sine strepitu & figura judicii, & solâ facti veritate inspecta procedere possint.

R

Præ-

459.

Præter hæc not. 1. si Clericus contenti-
onem habeat adversus Clericum, in pri-
ma instantia deferendam ad proprium E-
piscopum; non prohiberi tamen partes
cum Episcopi sui consensu etiam aliū
Ecclesiasticum Judicem sibi eligere. Cen-
setur autem regulariter proprius Episco-
pus Clerici conveniendi, ad quem Actor;
sive Clericus, sive Laicus sit, actionem
vel accusationem in prima instantia de-
ferre debet, Episcopus domicilii, seu ubi
Clericus habitationem habet animo per-
manendi; argum. *L. incola*, 29. ff. *ad mū-
nicipalem*, & habetur in *c. dilecti*. 17. Di-
xi *regulariter*. Nam si in alia Diocesi,
in qua non residet, beneficium habet,
tunc, sicut Vassallus in causa spectante ad
feudum coram Domino directo; sic talis
beneficiatus in causa pertinente ad illud
beneficium conveniri debet coram Epi-
scopo beneficii. Et quamvis etiam in
loco Originis sortiatur quis forum juxta
dicta sup. 1. in materia tamen jurisdic-
tionis, prævalet, si quis subsit ratione do-
micii, quàm Originis; nam ratione hu-
jus quis citari non potest *absens*; secus;
ratione illius secundum dicta loco cit.

460.

Not. 2. quando in *c. nullus*. 2. h. t.
dicitur, *ne ullus Judicium secularium, et-
iam Minorem Ecclesie*, absque permis-
su Episcopi capiat, per *Minores* ibidem
intelligi, Clericos in minoribus, Laicos
oblatores, & Clericos conjugatos; si isti
contraxerunt cum unica, eaque Virgine;
in habitu, & tonsura deserviant alicui Ec-
clesiæ juxta dicta à n. 366.

461.

Not. 3. quando diximus supr. à n. 278.
etiam ratione rei sitæ in aliquo loco
sortiri quem forum, & conveniri posse
coram loci Judice, intelligendum esse de
actione, non personali, sed reali; seu,
quando controversia est de re in usmo-
di Judicis territorio sita; si alio ei titulo
non subjectus sit; aliàs enim exerceret
jurisdictionem in non subditum. Unde
ex hoc, quod aliquis sortiatur forum in
loco, ubi res sita est, malè quidam Legi-
stæ, allegantes dictam regulam dedu-
cunt, Clericos in causis civilibus coram
seculari Judice conveniendos esse contra
expressum textum *L. ult. C. ubi in rem*
actio, ibi: *Actor Rei forum, sive in rem,*

*sive in personam sit actio, sequitur. Sed
& in locis, in quibus res, propter quas
contenditur, constituta sunt, jubemus
in rem actionem adversus possidentem mo-
veri.*

Hinc quando dicitur, posse quem, a-
liàs non subditum, coram Judice loci, in
quo res, super qua quis convenitur,
conveniri, intelligendum est, si relata
ad illum Judex loci habeat jurisdictionem
aliquam coercitivam, vel in persona,
vel in bonis ejus; nam omnis jurisdic-
tio inermis est, nisi habeat vim coercitivam,
seu coactionem aliquam, juxta *L. ult. ff.
de officio ejus*, cui mandata est jurisdic-
tio, ibi: *mandata jurisdictione privato, etiam
imperium, quod non est merum, videtur
mandari, quia jurisdic-
tio, sine modica
coercitione nulla est.*

Not. 4. Laicum à Clerico convenien-
dum esse coram seculari Judice, actione
personali, & reali; quod intellige. 1. nisi
causæ profanæ, ob defectum Judicis secu-
laris deferantur ad Judicem Ecclesiasti-
cum, per *c. cum sit*, 8. h. t. & cit. *L. ul-
tima*, relata supra; intellige. 2. nisi qua-
litas adharrens causæ, istam trahat ad ju-
dicem Ecclesiasticum, ut si Parochus a-
gat contra furem *Sacrilegum*; ubi au-
tem Vassallus in causa feudali conveni-
ri debeat? constat à n. 62.

Not. 5. quando Layman. in *c. cum sit*,
8. h. t. n. 1. §. *advertet*. 2. ait, cum dicitur,
aliqua crimina esse mixti fori, debe-
re intelligi, in quæstionibus facti, *non ju-
ris*; videri accipiendum, quando quæ-
stio specialiter versatur circa jus unius tan-
tùm fori; 2. quando pendet à jure, quod
tenendum ad evitandum peccatum vel
periculum (v. g. an talis contractus sit,
vel non sit verè usurarius?) aut ubi ratio-
ne materiæ, vel qualitatis intrinsecæ;
restringitur ad jus unius tantùm fori; ut,
ubi agitur de neganda hereditate defectu
natalium allegato ex invaliditate matri-
monii, &c.

Not. 6. circa decisionem causæ Judicem,
in foro seculari, etiam agente Clerico,
vel Ecclesiâ contra Laicum, debere ju-
dicare secundum leges seculares, salvâ
tamen exemptione, & libertate Ecclesia-
sticâ; sic gloss. in *Clem. Dispensiosam*,
de *Judic. V. usuris*. Et ideo, si Clericus
in

In foro civili agat contra Laicum ad præstanda sibi legata ex Testamento minus solemni, v. g. non habente testes? in tali casu judicabitur contra Clericum secundum leges civiles, quippe, quibus Clericus etiam obligatur; sed solum indirectè juxta dicta lib. 1. t. 2. aliud tamen est, si legata essent ad causam piam, ut si Ecclesia in foro seculari petat legata ex testamento minus solemni, judicari debet non secundum civiles leges; quia causa Ecclesiæ in hac re privilegiata est, seu exempta, sed secundum jus naturale, & Canonicum.

466. Not. 7. Prælatos Ecclesiarum Conventualium hoc ipso, quod Capita sint talis Ecclesiæ, in utroque foro, interno, & externo, jurisdictionem habere in Collegium, seu in eos, à quibus eliguntur; constat ex c. 3. de offic. Ordin. ubi tamen nota, jurisdictionem his Prælati, si exempti non sunt, competere cumulativè cum Episcopo, ut in arbitrio Actoris sit reos coram Prælati, vel coram Episcopo convenire. Nam Episcopus est Judex ordinarius Clericorum totius Diocesis; ergo concurrat cum omnibus aliis in jurisdictione fori tam externi, quam penitentialis, præterquam si per speciale privilegium, vel consuetudinem Prælati aliqui exempti sint, vel etsi non simpliciter exempti, tamen jurisdictionem in suos Clericos obtineant privativè, seu excluso Episcopo, saltem in prima instantia, aut donec defectus, vel negligentia Prælati inferioris appareat; colligitur ex c. Irrefragabili. 13. de Offic. Ordin. Et hanc jurisdictionem habent in suos Religiosos omnes Prælati Regulares, licet exempti

non sint; sic Innocent. in c. 3. eod. & Layman in c. quanto, eod.

Not. 8. Dignitatem Uxoris, quam à marito traxit, eo mortuo non extingui, nisi, soluto matrimonio, Viro inferioris conditionis nubat; sic Felinus in c. Ex parte 15. h. t. ubi Regina Angliæ, etiam mortuo Viro suo, bis Regina compellatur, nimirum ex dignitate prioris consortij Regalis; ut etiam colligitur ex L. Famina 8. ff. de Senatoribus, ibi: *Femina nupta clarissimis personis, clarissimarum personarum appellatione continentur; clarissimarum feminarum nomine, Senatorum filia, nisi qua viros clarissimos sortita sunt, non habentur. Feminis enim dignitatem clarissimam mariti tribuunt: parentes vero, donec plebeii nuptiis fuerint copulatae. Tam diu igitur clarissima femina erit, quam diu Senatori nupta est, vel clarissimo: aut separata ab eo, alij inferioris dignitatis non nupsit.*

Not. 9. ordinarium modum declinandi forum Judicis esse, si Reus conventus dicat se jurisdictioni subditum non esse; & dicitur hæc exceptio fori declinatoria ratione personæ; colligitur ex c. Licet, ult. h. t. Notandum autem, præter hunc modum declinandi forum ratione personæ, alios adhuc duos esse, nimirum ratione causæ, ut si Laicus conventus coram Judice seculari in causa decimarum, vel juris patronatûs, dicat eam Ecclesiasticam esse, & ad forum Ecclesiasticum spectare; ac deniquè ratione loci, videlicet, si aliquis in loco exempto, vel extra tribunal Judicis ordinarij conventus, excipiat locum non esse competentem; sic Iulius Clarus in præ-

litic. q. 31. n. 1.

